

*Lilium  
gia  
Saccar  
Ed. II.  
Tram.  
Cafor.  
dine.  
1555.*

Ffm W

132

# LITVRGIA

facra, seu ritus Mini

STERII IN ECCLESIA PEREGRI  
NORVM FRANCOFORDIAE  
AD MOENVN.

*Addita est summa doctrinae, seu fidei pro  
fessio eiusdem Ecclesiae.*

Editio Secunda.

PSALM. CXLIX.

Laudem Deo canite in Ecclesia  
Sanctorum.

IOAN. I.

Veni & uide.

FRANCOFORDIAE.

1555.

*Theol. 7f*

549

*Valerianus Tolus*

CHRISTIANO  
LECTORI ECCLESIA  
PEREGRINORVM QVAE EST  
Francofordiæ collecta S. per  
CHRISTVM,



N tibi, cãdide Lector, Litur-  
giam nostram damus, cũ doctri-  
ne, quam profitemur, summa,  
Amplis. Senatui Francofordien-  
si D. D. nostris clementis. ap-  
probatam. Ex his iam cognoscas licet, ecquos nã  
uiros exceperit in ciuium suorum consortium  
Sen. hic pientis. Ne deinceps temere credas  
blatteronibus nonnullis papistis, atq; alijs inuidis  
et maleuolis malignis hominibus, nos tanquã Ana-  
baptistas criminantibus. Nos nullius hãreseos no-  
bis conscij sumus: sed in omnibus cum sancta ca-  
tholica consentimus Ecclesia: doctrinamq; Pro-  
phetarum & Apostolorum uniuersam & solam  
Dei uerbum esse profitemur, atq; amplectimur:  
nos nostraq; iudicio piorum omnium submitten-  
tes: parati semper monitis & consilijs meliori-  
bus obtemperare, modo sine supercilio, & cum

STADTBIBLIOTHEK  
FRANKFURT AM MAIN



Dei uerbo coniunctis. Faxit Christus opt. Max.  
 ut hoc senatus nobilissimi exemplum illustre pietatis  
 erga Christianos exules, omnes sibi ad imi-  
 tandum proponant: quò Regnum Christi instau-  
 retur, neq; tot pereant animulæ, quas passim ui-  
 demus, ubi Papatus adhuc uiget, quouis doctrinæ  
 uento abreptas, in Anabaptisticen atq; hereses  
 uarias prolabi: quia desunt idonei magistri &  
 doctores, proq; pastoribus regnant lupi rapaces.  
 Tu proinde amantissime lector hanc Ecclesiam  
 amato, atq; Senatui Francoford. sancti. cuius  
 benignitate quietem & libertatem Christianam  
 hic adepti sumus uotis omnibus faueto. Be-  
 ne uale. Datum Francoford. ad Mœ-  
 num Cal. Septemb.

1554.

# LITURGIA

## SACRA, SEU RITVS

### Ministerij in Ecclesia, quæ est pere- grinorum exulum causa Euang- gelij Christi Franco- fordix.

## LITURGIA DIEI

### Dominici.

Die dominico mane hora octaua, cum iam  
 adest populus, Præcentor incipit clara uoce,  
 LEVE LE CŒVR, ac populus accinit cum  
 modestia & grauitate summa, ut ne quid uolu-  
 ptati aurium, sed seruiant omnia reuerentiæ  
 Dei, & ædificationi tam canentium, quàm au-  
 dientium, si qui fortasse adsint non canentes.

Est decalo-  
 gus ritmo  
 redditus.

Cum absoluerint, tum unus ex ministris à  
 suggestu sic incipit.

**A**DIUTORIUM nostrum in  
 nomine Domini, qui fecit cœ-  
 lum & terram, Amen.

Deinde clara & distincta uoce populū admo-  
 net de cōfessione peccatorū, hisq; uerbis preit.

Fratres, cogitet nunc uestrum  
 unusquisq; se coram Deo sisti, ut

A 3

peccata & delicta sua omnia simplici animo confiteatur; atq; apud vosmetipsos me præeuntem sequi mini his verbis.

## CONFESSIO PECCAT.

Psal. 51.

**D**omine Deus pater æterne & omnipotens, agnoscimus & factemur ingenue apud sanctissimam Maiestatem tuam, peccatores esse nos miseros, adeoq; a prima origine, qua concepti & nati sumus tam ad omne malum esse pronos, quã ab omni bono alienos: quo vitio tuas leges sanctissimas assidue transgredimur, eoq; nobis exitium iustissimo tuo iudicio conquirimus. Attamen Domine Deus, pœnitet sic offendisse bonitatem tuam, proindeq; nos & facta nostra omnia nimium scelerata damnamus, orantes, vt tu pro tua clementia huic nostræ calamitati succurras. Miserere igitur nostri omnium, o Deus & Pater clementissime ac misericors, te per nomen filij tui Iesu Christi Dñi nostri

nostri obtestamur; ac deletis vitijs, ablutisq; sordibus cunctis largire, atq; adauge indies spiritus tui sancti vim & dona in nobis, quo uere & serio nostrã miserã intelligētes, nostramq; iniustitiã agnoscentes, verã pœnitentiã agamus: qua mortui peccato deinceps abundemus fructibus. iustitiæ ac innocētiae, quibus tibi placeamus per Iesum Christũ filium tuũ vnicum redemptorem ac mediatorem nostrum, Amen.

## ABSOLVTIO.

Post hæc minister è scriptura sacra sententiã aliquã remissionis peccatorũ populo recitat, qua cõfirmat cõsciētias in fide remissionis peccatorũ.

Absolutione pronũciata, Minister nomine Domini inuocato, ut spiritu sancto adiutus possit digna Deo, atq; salutaria Ecclesiæ eloqui, recitat ex nouo Testamento textũ aliquẽ: pergens in eo libro, quẽ semel erit aggressus exponere Ecclesiæ. Neq; amplius recitat, q̃ interpretari instituerit.

Concionem horæ spatio absoluit: ac subiecta precatione concludit. Admone t autem prius Ecclesiam, si qua sunt digna aut necessaria. Nempe

*ſi ſponſalia ſint, ſi baptiſmus, ſi quis pauper, aut egrotus ſe commendat precibus Eccleſie, & cætera eiufmodi.*

*Interea Diaconi duo ad oſtium à ſingulis ealeemofynam poſtulant in pauperum uſus.*

## ORATIO.

**D**EVS omnipotens Pater cœleſtis, tu quidem promiſiſti exaudire vota noſtra, quacumq; de re te appellauerimus in nomine dilecti filij tui Ieſu Chriſti Dñi noſtri; nos quoq; ille ſic docuit, ſanctos cœtus inter nos habere nomine ſuo, promiſſis liberalibus etiam inuitans, quod his cœtibus noſtris adfuturus ſit medius, vt hoc uno mediatore & interceſſore abs te impetremus quicquid unanimis petierimus ſuper terram;

Match. 18.

1. Tim. 2.

In primis autem iubes nos orare pro omnibus quoſcumq; in poteſtate ſupra nos eſſe uoluſti: ac deinceps pro ijs rebus quæ ad uſus neceſſarios populi tui, atq; omniũ hominum pertinent. Cui mādato tuo obtem

obtemperantes, ſola fiducia ſanctiſſimi inſtituti tui ac promiſſorũ tuorum freti, huc coram te conuenimus in nomen Chriſti filij tui Domini noſtri, rogantes ex animo ſupplices, o Deus idemq; Pater optime, in nomine liberatoris unici, eiufdemq; mediatoris noſtri, liberamente nobis pro tua clementia condones omnia peccata, noſtraq; corda, mentes, cogitatus ac uo a omnia ſic ad te flecias et pertrahas, qui ualeamus te inuocare uera & ſimplici oratione, quæ tibi grata ſit & accepta.

Oramus itaq; tuam clementiã, & o Pater cœleſtis, pro principibus, et omnibus poteſtatem gerentibus ſeruis tuis, quibus abs te mandatũ eſt ius dicere populo tuo: nominaſtim uero p COSS. & Senatu huius ciuitatis, ut iſiſ largiri digneris ſpiritum tuum, qui uerè princeps eſt & uoluntatum moderator, eiufque dona, uim & gratiam indies magis

1. Tim. 6.  
Act. 17. & 19.  
Marth. 28.

magisq; adaugeas: quo simul uere agnoscant unum ac solum Christū filium tuum Dominū nostrum Regem regum, ac principatum tenentem supra omnem potestatem, cui nempe abs te data sit potestas omnis in cœlo & in terra: tum certa fide persuasi, totis animis studeant uero ac spirituali cultu. sese illi approbare, regnumq; ipsius apud subditos suos prouehere & amplificare, regentes ipsos iuxta præscriptū uoluntatis tuæ ex lege tua, sicuti certo norunt se et illos abs te factos & conditos, adeoq; oues esse tuorum armentorum. Liceat itaq; tuo beneficio pace frui, in qua tibi seruiamus cū omni sanctitate & honestate, liberatq; ab inimicis nostris tibi gratias et laudes persoluere queamus.

Oramus etiā Pater uerax & liberator vnice p̄ ijs quos Ecclesiæ tuæ dedisti pastores, quibusque salutis animarum procuracionem ac sacro sancti Euangelij tui ministeriū cōmendasti:

mendasti, eos tuo spiritu sic regas & adiuues, ut sint fideles ministri glorię tuæ, huc studia omnia cōferentes, quo palabūdus adhuc ouitū tuarū grex in vnū coeat ad Iesum Christū verū ac summū pastorē, Princis p̄q; Episcoporum: uti in eo & per eū indies magis atq; magis crescant cū omni iusticia & sanctimonia uitæ.

Rursum dignare Ecclesias omnes tuas uindicare & eripere e luporum <sup>1. Pet.</sup> faucibus, ac mercenariorū oīm vnguibus, qui ambitioni suæ seruiūt, et cōpendij sui gratia faciunt omnia, nihil minus solliciti, q̄ vt sacratissimū nomē tuū celebre ac sanctū ubiq; sit, & grex tuus salutē cōsequat̄.

Insuper te rogamus, o Deus clementissime & Pater misericors, p̄ vniuerso hoīm genere: vt qui velis agnosci ab oībus toto orbe terrarū liberator vnicus, parta redēptione per Christū filiū tuū: digneris etiā quotquot adhuc hodie ab eodem Christo filio tuo lōgius absunt, uinctis sedens

sedentes in tenebris, & omni salutis ignorantia, spiritu tuo illustratos per prædicationem Euangelij in rectam salutis uiam reducere, nempe ut agnoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quos uero iam eo favore dignatus es, ut eorum mentibus illucesceret manifestatione uerbi tui, facin dies omni bono ac benedictionis tuæ spiritualis abundantia auctiores ac beatiores euadant: quo tandem aliquando ualeamus omnes unanimi cõsensu uere & ex animo tuam maiestatem adorare, & laudibus extollere, ac denique nos totos in clientelam tradere unigenito tuo, quem solum nos agnoscimus Dominum, Regem ac legislatorem nostrum:

Ad hæc, eos tibi commendamus etiam, o Deus consolator, quos uisitatus ut castiges cruce uel quocumque afflictionis genere, & populos quos tu iam peste, belloue aut fame uir-

ges:

ges: singulos denique quos aliqua per te premit inopia, uel carcer aut morbus, aut exilium, aut quæcumque tandem calamitas seu corporis illa sit seu animi: Da ut intelligant tuam erga illos uere paternam beneuolentiam, nempe quod ideo castiges & corrigas, ut emendati reuertantur ad te ex toto corde suo, ac plenam consolationem reportent liberati ab omnibus malis.

Vnice uero tibi commendatos volumus fratres nostros electos tuos, quotquot sub tyrannide Antichristi uiuunt adhuc dispersi, pabulo uitæ spiritualis destituti, atque libertate illa filiorum tuorum, ut puber possint nomen tuum inuocare: In primis autem eos qui uincti sunt, aut qualicumque modo opprimuntur apud hostes Euangelij tui: digneris o Pater indulgentissime tui spiritus robur in illis augere: quo firmiores sint, nec unquam deficient, sed constanter perseverent in sancta

cta



etra uocatione tua. Velis illos tuo  
semper auxilio sustinere ac fulcire,  
quantum opus esse nosti, simulque  
cōsolari in aduersis omnibus, tua  
que cura tueri aduersus luporū ra-  
biem; quo per ipsos nomen tuum  
illustret, tam in uita quā in morte.

Da deniq; o Deus & Pater, nos  
bis iam collectis in vnū in nomine  
Iesu Christi filij tui ad audiendum  
verbum tuum \* & cōmunicādum  
sacrosanctæ ipsius cœnæ mysterijs \*  
vt vere agnoscamus, serioque sen-  
tiamus, quam miserī simus ac per-  
diti iam inde a prima nostra origi-  
ne, indies magis atq; magis iudiciū  
tuum in nos prouocantes vitæ im-  
probitate: itaq; ubi perspexerimus  
quā nihil in nobis insit boni, quod  
que nostra caro et sanguis regni tui  
hereditatē cōsequi haud quaq; pos-  
sint: tum animis totis nos ipsos de-  
damus vnice dilectō filio tuo Iesu  
Christo liberatori nostro vnico: qui  
nos ita possideat, & corda nostra in  
habis

Stellulis in  
elusa solli  
dicūtur quo  
die Cœna  
Domini ce-  
lebratur,  
aliās omit-  
tuntur.

habitet, vt mortuo, ac plane delecto  
veteri Adamo innouemur in vitæ  
puritatē: qua nomē tuū, vti par est,  
supra omīa vbicq; laudibus extolla-  
tur & prædicetur. Simul etiā ius im-  
periūq; obtineas, imo exerceas etiā  
in nos omēs, vt magis magisq; indi-  
es cōdiscamus vera obedientia, &  
digna reuerentia tuā maiestātē ve-  
nerari. Tuque adeo solus ubiq; reg-  
nes omniū Dñs: ac populum tuum  
sceptro verbī tui, & virtute spiritus  
tui regas & moderere, omēsque qui ti-  
bi aduersantur veritatis ac iustitiæ  
tuæ potētia debellatos expugnes.  
Ita fiet vt potestas omīs atq; Celsitu-  
do, quæ gloriæ tuæ oblectatur, sen-  
sim destruat, funditusque euerta-  
tur, donec palā fiat regnū tuū, q̄ vi-  
delicet tu solus Rex sis & Dñs, qui  
ad iudicādū accessurus es. Nos quo-  
que cum creaturis vniuersis tibi per  
omnia obtemperemus, sicuti nos-  
timus Angelos sanctos, qui tecum  
cœlos incolunt, nullum velle  
habere,

2.  
N.

3.  
Hæc est pa-  
raphrasis do-  
minicæ ora-  
tionis, quæ  
omittitur  
tamen, si ita  
ob tēporis  
angustiam  
villum fue-  
rit: tumq; si  
tis fuerit ip-  
sius oratio-  
nis domini-  
cæ verba re-  
citare.

habere, quam ut quicquid tibi gratum & placitum fuerit statim absque remora pro tuæ uoluntatis arbitrio perficiatur: nos ita tibi quoque place re studeamus neglectis ac posthabitis cunctis nostræ carnis desiderijs & placitis.

¶ Donec autem nos coram te ambulamus cum amore & timore nominis tui, tu pro tua bonitate nutrias et pascas, omnia sufficiens que uite huic sint necessaria, qui panem nostrum cum pace comedamus, qua tua cura & sollicitudine nostri persuasisti. nobis sit te patrem esse, a quo uno expectanda sint omnia: depositaque omni fiducia nostri ac creaturarum omnium, in tua unius bonitate ac beneuolentia acquiescamus.

¶ Quoniam uero quandiu uita hæc manet, nos miseri peccatores in morte media uersamur, fragilesque adeo sumus, ut perpetuo prolabamur impingentes ad omnia, semperque aberrantes a recto, nobis hac in parte

parte sic esto propicius, ut condones hæc delicta omnia, quibus iudicio tuo iustissimo nos fecimus obnoxios: eademque condonatione liberet a morte aeterna, cui nostro merito addicti sumus. Ergo malum hoc quod circumferimus ne nobis imputes: quemadmodum nos quoque tuo iussu iniuriarum obliuiscimur, ac uindictæ loco bona omnia nostris inimicis precamur.

In posterum denique nos tua uirtute Matth. 6. fulcias, ne rursus carnis infirmitate prolapsi te offendamus. Cumque ea sit nostrarum uirium imbecillitas, ut ne ad momentum quidem temporis perstare ualeamus, atque adeo cincti uindicte crudeliss. hostibus, perpetuam impressionem patiamur a diabolo, mundo, & carne, quibuscum nobis continuum est bellum: nos tuo spiritu corrobora, & gratiarum tuarum donis munias, ut possimus constanter perstare aduersus omne genus tentationis, inque spirituali

hac lucta sic pergere, vt tandem  
victoria plena potiti triumphum  
agamus in regno tuo vna cum duce  
& capite, summoq; & vnico prote-  
ctore nostro Domino Iesu Christo,  
Amen.

*Huic precatiōi immediatē Symbolum addi-  
tur, quo recitato præcentor statim Psalmum in-  
cipit: cui deinde populus accinit ad finem usq;  
quo decantato Minister populum dimittit hac bo-  
na imprecatione.*

**BENEDICTIO POPVLI IN  
discessu. Nume. 6:**

Dominus vobis benedicat, idem  
que vos tueatur. Dominus respiciat  
vos hilari vultu, ac misereatur  
vestri. Dominus placatus vultu  
suum ad vos conuertat, omniq; foelicitas  
te vos beet,  
Amen.

**LITVRGIA COENAE  
DOMINI.**

*Quo die uero Coena celebratur, orationi præ-  
cedenti hæc immediatē subiicitur.*

*Celebratur  
Coena pri-  
mo quoq;  
Dominico  
die cuiusli-  
bet mensis.*

**ORATIO.**

**A**T que vti Dominus IESVS nō  
solum vna oblatione corpus su-  
um & sanguinem tibi obtulit in res-  
missionē peccatorū nostrorū, sed  
eadē nobis vult impartiri in alimo-  
niam vitæ æternæ: ita nos eo fauos  
reprosequere, vt tuo auxilio possis  
mus sincero corde, ac studio ar-  
denti tantum ab illo beneficium ac-  
cipere: nempe ut certa fide imbus-  
ti, participes corporis & sanguis-  
nis ipsius efficiamur, imo vero il-  
lo toto & integro perfruamur, qui  
vere Deus & homo est, & simul  
panis ille sacrosanctus cœlo nos-  
bis datus in vitæ alimoniam, quo  
deinceps non amplius nobis vi-  
uamus, vt nostro ingenio nimium  
corrupto & vitiatō obtēperemus:

**B a**

*Sacramentum  
vitiæ  
Deo:*

sed ille solus in nobis viuat, atq; in vitam perducatur sanctam, beatam, & æternam. Porro deinceps facti participes testamenti sui noui atq; æterni, quod est fœdus gratiæ, certis, nobis id persuasum sit, & te patrem nostrum esse beneuolum, qui nulla peccata aut delicta nobis imputes, quin etiam uti hæredibus ac filijs dilectissimis necessaria omnia vitæ prospicias atque subministras, cum corpori, tum animæ: quo tibi gratias agamus immortales, si ne sine laudantes nomen tuum cū verbis & oratione, tum factis & tota uita.

Da igitur pater cœlestis ad hunc modum hodie excitari in nobis memoriam dilecti filij tui, nosq; ea exerceri ad prædicandum beneficiū mortis eius, ut nouis subinde fidei accessibus aucti, corroboremur ad omne bonum: ac singulari summasque fiducia te inuocemus ac patrem agnoscamus, ut in nomine tuo gloriamur,

riemur, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

*Huic orationi symbolum Apostolorum subiicitur. Interea Diaconi panem ad mensam adferunt cum uino: Vbi astant reliqui ministri ac seruiiores. Post symbolum, Cœna Dominica institutio recitatur grauius & distincte ad hunc modum.*

INSTITVTIO COENAE DOMINI. 1. Cor. 11.

**A**Vdite uti Dominus Iesus sacro sanctum hoc epulum suum instituerit, quemadmodum a Paulo traditum accepimus.

Ego accepi (inquit) a Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite. Hoc meū est corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei cōmemorationem. Ad eundem modum & poculum, peracta cœna, dicens: Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescūq; b.beritis, in mei

commemorationem. Quotiescunq;  
que enim comederitis panem hūc,  
& poculum hoc biberitis, mortem  
Domini annūciabitis, donec vene-  
rit. Itaq; quisquis ederit panem hūc,  
aut biberit poculum Dñi indigne,  
reus erit corporis & sanguinis Do-  
mini. Probet autem homo seipsum,  
& sic de pane illo edat, et de poculo  
illo bibat. Nā qui edit & bibit indis-  
gne, iudicium sibi ipsi edit & bibit,  
non dijudicans corpus Domini.

*Hic subiicit interdictionem summa grauitate,  
cuius hec est formula.*

**A**Vdiuimus, fratres, quo nam  
modo Dominus noster Coenā  
fecit cum discipulis: quo docemur  
nullis exteris, aut alienis ab Eccles-  
sia locum hic esse. Itaque hoc exem-  
plo edoctus, per nomen & autoris-  
tatem Domini nostri Iesu Christi  
admoneo idololatrias omnes, bla-  
sphemos, Deique contemptores,  
haereticos, quique sectis varijs Ec-  
clesiam scindunt, cuius maxima est  
se debet

se debet coniunctio & vnitas, per-  
iuros, quique immorigeri sunt pa-  
rentibus, ac superioribus omnibus,  
seditiosos, & pacis turbatores, plas-  
giarios, percussores, litigiosos, sus-  
surrones, scortatores, fures, raptos-  
res: auaros, ebriosos, heluones: de-  
nique quicumque dissolutae vitae  
prauo exemplo Ecclesiae scandas-  
lum dant: vt hac mensa procul abs-  
sistant, ne sacrosanctas epulas pros-  
phanent, quas Dominus noster  
Iesus Christus solum ijs impartiri  
vult, qui sunt familiares ac domes-  
tici fidei.

*Hic addit exhortationem de Coena usu.*

**P**Roinde, quemadmodum hortas-  
tur D. Paulus, probet atq; exami-  
net vnusquisq; suam conscientiam  
& animum, num vera poenitentia  
ante actae vitae tangatur, ac vere ex  
animo optet sanctius porro viuere  
ad prescriptū legis diuinæ. In primis  
aut illud, nū fidat misericordia Dei,

atque in vno Christo Iesu spem salutis vniuersam ponat, positoque omni odio & similitate, certo iam apud se statuatur in omni deinceps vita concordiam cum fraterna dilectione colere.

Hoc si nobis coram Deo apud nostras conscientias probe constat, nil dubitemus quin pro filiis nos agnoscat, quos Dominus Iesus ad suam mensam inuitet, ut ibi accipiamus sacrum hoc Symbolum, quod discipulis participandum & communicandum distribuit.

Tametsi porro in nobis multam sentiamus imbecillitatem cum summa miseria: nepe nos fide integra & solida haud quaquam praeditos, pronos autem ad omnem incredulitatem, et dubitationem de diuinis promissis, ac socordes nimium in cultu Dei: quibus etiamnum in dies ac fere in horas recrudescit bellum cum carne et eius desiderijs, attamen quando nos tanto fauore prosecutus est

tus est Dominus noster, ut Euangelium suum cordibus nostris infereret, quo contra hanc incredulitatem staremus, ac desiderium in nobis singularare accederet, quo valere iussis omnibus affectibus, ac desiderijs nostrae voluntatis, iusticiam ipsius, & legis eius decreta sectaremur: certissime persuasos nos esse oportet, nihil haec vitia nostrae imperfectioris obstare posse, quin pro suis nos agnoscat, dignosque habeat ac faciat participatione spiritualis huius mensae. Neque enim huic ideo accedimus, ut testemur ullam in nobis iustitiam aut perfectionem: quin imo vitam nostram agnoscentes in Christo absconditam, in ipso vno querendam esse fatemur, ac nos ipsos totos in ipsa morte versari. Discamus itaque sacramenti huius vsu aegris animis mederi. Nam ita demum digni erimus, approbante nos Domino nostro, si nos ipsos recte agnoscamus, ac pertaesi peccatorum & vitiorum

nostrorum in ipso vno acquiescas  
mus.

Primum itaq; verbis illis credas  
mus, quibus Dominus Iesus, qui est  
veritas certissima nunquā fallens,  
ipse promisit se facturum nos parti  
cipes corporis & sanguinis sui, quo  
sic illū totū possideamus, vt viuat  
ipse totus in nobis, nosque in ipso.

Quamquam autem nihil hic nisi  
panem & vinum cernamus, non  
dubium tamen esse debet, spirituas  
liter, hoc est, mentibus nostris reues  
ra exhiberi quicquid externis hisce  
rebus signisq; visibilibus significa  
tur, aut portenditur, adeoq; Christū  
ipsum esse verum illum panem coe  
lo demissum alendis ac sustinendis  
animabus in vitam æternam.

Ne igitur ingrati simus aduersus  
hanc summā atq; immensam Serua  
toris nostri bonitatē, qua diuitiarū  
suarū thesauros in nos profundit.  
Etenim cum se nobis dat, palam  
testatur, quicquid ipse possideat id

vnūera

vnīuersum esse nostrū. Proinde sac  
cramentum hoc tanquam mnemo  
synon atq; arrabonem mortis pas  
sionumq; ipsius omnium excipias  
mus, vt earum dignitas nobis ad iu  
stitiā imputetur, non secus ac si nos  
eadem passi essemus, aut patiendō  
potuissemus satisfacere. Ne porro  
deinceps tam male salutis nostrę cō  
sulti simus, vt tam amanter inuitan  
tem suo verbo Dñm fastidientes re  
spuamus. Sed imo munificentiā ipsi  
us ita amplectamur et magni facia  
mus, vt nos totos illi ex animo deda  
mus, quo se dignos ptinus faciat.

Itaq; sursum cordib; & animis eue  
hamur in coelū, vbi agit, & regnat  
Iesus Christus in gloria Patris, vns  
de etiam ipsum expectamus redem  
ptorem ac liberatorem. Neq; vero  
in externis symbolorum rebus hær  
reamus, quas videmus, et gustamus:  
terrene siquidem sunt, & corruptio  
ni obnoxia. Haud quaquam igitur  
aut panī immistus vel inclusus, aut

vinō

*Crossy*  
*Sacra.*  
*ius*  
*E. h.*  
*mani.*  
*festi.*

vino immerfus est putandus, ut ibi  
quærat: sed tum demum illum  
alfequemur, totamque ipsius sub-  
stantiam participandã in vitæ æter-  
næ alimoniam, vbi supra terrena om-  
nia euecti, cœlos quoque ipsos as-  
nimis fide imbutis superabimus, in  
regnum Dei penetrantes, vbi ipse  
iam habitat.

### SEQUITUR COMMUNIO.

*Accedunt ad mensam ordine, & summa cū re-  
uerentia primò uiri, deinde Mulieres, deni aut  
duodeni mense astantes quibus unus ex Ministris  
primò panem diuidit cum bis uerbis.*

Panis quem frangimus commu-  
nicatio est corporis Christi: Accipis-  
te Comedite, memores corpus Chri-  
sti pro vobis esse fractum. *in Re. Per:*

*Deinde poculum uini iisdem porrigit dicens.*

Calix benedictionis cui benedix-  
imus communicatio est sanguinis  
Christi, qui pro vobis est fusus in re-  
missionem peccatorum.

*Interea temporis à totâ Ecclesia decantatur  
Psalmi gratiarum actionis, interiecta post sin-  
gulos*

1. Cor. 10.  
Matth. 26.  
1. Cor. 11.  
Luc. 22.

1. Cor. 10. 11.  
Matth. 26.

gulos Psalmos, recitatione alicuius loci è scriptu-  
ra puta Iob. ca. 6. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.  
21. 1. Co. 10. Exod. 12. Recitat autem unus ex  
Ministris è suggestu.

*Postquam omnes communicarint sequitur gra-  
tiarum actio.*

### AGAMVS DEO GRATIAS.

Pater cœlestis, Gratias immortalæ  
les agimus tibi, laudantes istam  
tuam erga nos benignitatem, qua  
tanto beneficio dignatus es, quam  
uis peccatores, vt in partem Christi  
filij tui vocares ac pertraheres, quæ  
pro nobis in mortem semel quidẽ  
dedisti, iam vero subinde etiã das  
in alimoniam vitæ æternæ. Largire  
nunc nobis ne vnq̃ obliuisci possis  
tantarum rerũ, sed imo eas ita  
cordibus nostris insere, vt indies  
adulescamus magis, augeaturque  
in nobis robur fidei quæ efficax sit  
ad omne opus bonum, quo vitã nos-  
tram totam instituiamus ad gloriã  
nominis tui, & ædificationẽ proximi,  
Per eundem Iesum Christum  
filium



30 LITVRGIA POMER.

fillum tuum, qui in vnitate sancti spiritus tecum viuit & regnat in æternum, Amen.

*Demum benedicendo, ut supra, populum dimittit.*

LITVRGIA POS  
MERIDIANA.

**A** Prandio hora prima Catechismus puerorū habetur, quo Ecclesia frequens confluit. Cantato autem Psalmo (nempe vno octonar. Psalmi 119.) pueri se ante catechistam sistunt, acrogantur de singulis articulis fidei, legis, & orationis dominicæ: ea nempe quæ præcedenti die dominico audierint. Tum pergit catechista in catechismo alios articulos explicare, pueris familiarius, populo autē carnosius neruosiussq;. Nec diutius hora Ecclesiam detinet.

LITVRGIA VES  
PERTINA.

**F**inito Catechismo hora secunda habetur concio. Minister post decan

LITVRG. POENI. 31

decātatum Psalmum pergit in suo libro quemcunq; sumpserit exponendum. Cōcludit oratione, quam pro suo arbitrio dicit, commēdans Deo omnes status. Ac deniq; rursus decātato Psalmo, populū facta precatus dimittit. Nec plusquā horæ spatio concio detinetur. Vt tēpus habeant ante coenā Ministri & seniores ad colloquendum & cōsultandum de rebus Ecclesiæ.

LITVRGIA QVO  
TIDIANA.

**P**ER hebdomadam habetur etiā mane ferijs tertia & quinta concio: quæ accedente Ministro a Psalmo incipit: quo decantato, ille inuocato spiritu sancto, textum sacrum recitat pergens, vti supra monuimus, in eodem libro quem semel enarrandū sumpserit. Post horæ spatiū cōcludit precatiōe dñica, p̄monita Ecclesia p̄ quibus orare debeat. Ac prius

Ac priusquā oratio dominica recitatur iubentur in silentio singuli apud se orare, deinceps populum benedicens dimittit ad operas.

LITVRGIA POENITENTIAE.

*Quoniam uerò assiduis fere calamitatibus Ecclesia Dei flagellatur ob scelera & peccata: æquius uidetur iuxta ac sanctissimum uno aliquo die (qui nobis seruatur feria quinta) preces celebriores haberi, ad quas tota Ecclesia conuenit, ut ad poenitentiam sese comparet.*

*Concionem claudit hac precatione, postquā satis coetum commonefecerit iræ ac iudicij Dei, ac peccatorū quibus nōrit ipsos obnoxios, ob quæ sic ira Dei in eos defecuit.*

ORATIO.

**D**EVS omnipotens Pater cœlestis, agnoscimus & fatemur, haud quaquā dignos esse nos, qui in cœlū oculos tollamus, ut nos ipsos tibi sistamus, ac ne tantū quidē de nobis sperare audemus, quod nostras preces exaudias, si nos nos  
 straque

straque etiam dignissima intueare. Nam conscientia ipsa nos accusat, & peccata quæ admisimus arguunt nos nostræ impuritatis: adhæc nouimus quod sis ipse iudex iustus et uerax, qui impios peccatores haud unquam approbas ut iustos pronuncies, imo seuerissime soleas in eiusmodi præuaricatores legum tuarū animaduertere. Proinde, Domine, cum vitæ nostræ cursum uniuersum intuemur, pudet certe nosmetipsos nostri, adeoquē nihil præter exitium desperabūdi expectamus, iam quasi in mortis vortiginibus iactati. At tamen, o Domine Deus, quando quidem visum tibi est pro singulari tua clementia & misericordia in exhausta, iubere, ut te inuocemus, etiam ad inferos demersi, atque, uti nostri, quo magis peccamus, hoc tua misericordia magis opus esse, ita etiā vis ut ad tuam unius clementiam, quæ summa est, confugiamus: nec hoc contentus iussisse, quo magis  
 C

illicias nos ad te, promissis etiam blandissimis egisti, ne dubium sit nostra vota exaudita iri, non villo quidem merito nostro, sed per nomen & meritum vniuersi Iesu Christi Dñi nostri, quem nobis dedisti mediatorē et patronū: p̄sidio itaq; hu- mano penitus omni destituti, hac vna fiducia tuæ bonitatis solius coram adsumus, maiestatem tuam sup- pliciter orantes per sanctissimum nomen tuum, vt nostri tandem te misereat.

Primum, Domine, præter innumera quæ in nos contulisti beneficia in commune cum cæteris hominibus, singularem etiam fauorem erga nos multis in rebus declarasti: adeo quod minime valeamus commemorare, ac ne cogitatione quidē digne cōplecti quæ in nos cōtulisti.

Illud porro magnum in primis merito videri debet, quod dignatus sis tuo Evangelio vindicare a diaboli seruitute, qua p̄mebamur  
miseri

miseri: eximensq; abominādis idolorum cultibus & superstitionibus, quibus immerſi irretitiq; eramus, adduxeris in plenissimam lucē veritatis tuę. At (quæ nostra est nimia ingratitude, & incogitantia) quasi beneficiorū omnium, quæ de tua manu accepimus obliuiscimur, declinauimus ad nostrę carnis desideria, fraudantes (quantum in nobis fuit) maiestatem tuam honore debito, verbumq; tuum obedientia digna, sed neglectum nomen vti par erat, celebrauimus, quamuis nunquam desieris monere nos sedulo verbo tuo per ministros tuos: quibus monitis neq; auscultauimus neq; paruimus. Peccauimus itaq; Domine, te que offendimus, ac p̄inde pudore confundimur, ignominiam patimur, agnoscimusq; nos vere apud tuū tribunal reos esse, quibus cum si pro nostra ipsorum dignitate agere instituas, quid præter exiliū, damnationem, ac mortem expectemus?

Quamuis etenim excusare conemur, semper tamē conscientia damnat, nostraq; iniquitas coram te nos coarguit. Certe domine iam satis videmus, intelligimus & sentimus ex his flagellis, quibus nos castigasti, te iustiss. iram aduersus nos concessisse. Iustus etenim cum sis, & equi-  
amantissimus, haud vnquam temere aut immerito affligis tuos. Itaque flagra iræ tuæ sentientes, te merito infensum nobis sentimus & agnos-  
scimus. Quin manum tuam adhuc exporrectam cernimus, vt maiores pœnas de nobis sumas: Quibus cū telis agere vindictam soles, eadem te nūc sumere in manum videmus: nec illa omnia quę grauissimè comminatus es peccatoribus impijs, nisi mature resipiscamus, pœcū absunt: sed imo in exiliū nostrum paratissimi: Quamuis autem grauissimè in nos defæuisses, ac longe grauiores, ac centuplo etiam maiores pœnas, quam consueuisti, imponeres, attas-  
men

men iustissime id facturum agnosce-  
mus: meruimus etiam maledictio-  
nes illas, quibus olim in Israëlē po-  
pulum tuum iratus defæuisti.

Enimuero Domine, tu pater es, nos terra & lutum: tu creator, nos opus manuum tuarum: tu pastor no-  
ster, nos grex tuus: tu liberator, nos populus libertique tui: tu Deus, nos tuum peculium. Ne igitur sic exan-  
descas, vt in furoris æstu nos casti-  
ges, Sed imo iniquitatum nostrarū obliuiscere, vt punire etiam velle de-  
finas, contentus summa cum clemē-  
tia castigasse & emendasse. Nostris peccatis iram tuam in nos accendis  
mus. At meminisse oportet tamen, nomine tuo nos omnes censeri: atq; adeo tesseram tuam ac symbola ges-  
tamus tua.

Quin tu eris potius, absoluis, & au-  
ges opus gratiæ tuæ ceceptum in no-  
bis: quo agnoscat orbis totus vere te  
Deum, ac liberatorem nostrū. Scis  
mortuos nequaquam laudes tuas

dicturos apud inferos, nec quos perdidideris, funditusque deleueris: at facient animi tristes, mœsti, ac deiecti, cordaque cōuulsa, & mali sui sensu superculsæ conscientiæ, tam inde pauide expectantes tuæ clementiæ fauorem; hi te laudabunt, hi celebrabunt, hi gratias agent.

Israel populus tuus per sæpe suis flagitijs tuam iram prouocauit, atque eum ideo iuste afflixisti: attamen quoties ad te reuersus est, toties illum summa clementia excepisti. Et quamuis grauissima essent peccata, propter fœdus tamen tuum, quod cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo que pactus eras, ab illo virgas amouisti tuas, malaque omnia quæ preesto erant auertisti; imo nec vota eorum nec preces vnquam frustratus es. Nos porro longe præstantiore fœdere dignatus es: quo sane niti apud tuum tribunal volumus; nempe quod nobiscum pepigisti per manum Iesu Christi filij tui seruatoris nostri, atque ipsius

ipsius sanguine describi, mortemque obsignari, ratum & firmum esse iussisti. Proinde Domine fiduciam omnem dignitatis nostræ, ac spem humani presidij, quodcumque quis sperare audeat, ponimus, ad hoc vnicum fœdus confugientes, quo Dominus noster Iesus Christus corpore suo tibi sacrificium faciens, nos reconciliauit. Respice igitur Domine in faciem Christi tui, non in nos ipsos: quo ipsius intercessu sedata ira faciem tuam salutarẽ & placidam reduces, nosque recipias in posterum regendos, ac gubernandos tuo spiritu: quo renati in vitam meliorem nomen tuum sanctificemus.

*His subiicitur tota paraphrasis orationis.*

*Dominica, quæ supra habetur in oratione diei.*

*Dominici signata, N. uti uisum fuerit Ministro.*

*Denique hæc addit,*

**T**Ametsi igitur indigni sumus, qui vel ore hiscamus apud tuum tribunal, quo tuam opem in rebus durissimis imploremus: attamen

quia sic visum est tuæ maiestati, vt pro nobis inuicem oremus, te obsecramus supplices pro fratribus nostris, eiusdē corporis membris, quos nunc virgīs tuīs castigas, iram tuam ab illis auerte. Nominatim autem oramus pro N.N.

Memento, Domine, quod ij tui sunt quoq; filij quemadmodū nos, quorum offensis ne sic irascaris, vt solitum fauorem, beneuolentiam ac misericordiam exuas, quam fore perpetuā omnibus in te fidentibus promissisti.

Respice etiam cunctas Ecclesias tuas propicius, ac populos omnes, quos varijs vrges calamitatibus, peste, bello, fame & id genus alijs virgīs; ne sinas Christianum populum interire, tuiq; nominis gloriā & memoriam aboleri in terris. Ne permittas, vt inter quos nomen tuum inuocatum est, ij male pereant, ac eorū interitu exultantes Turcæ, barbari, infideles & papistæ sacratissimum

mum nomen tuum blasphement.

*Reliqua inuenies supra signata R.*

*Qua oratione finita populo benedicitur ut supra, & dimittitur.*

R.  
Fol. 91

*Hæ sunt precationum in Liturgijs certa formula, quas tamen sequitur minister suo arbitrio, ut tempus fert, & res postulat. Neq; enim ulla præscriptione formularum alligandus est spiritus Dei ad eum uerborum numerum, cui non liceat subijcere uel supponere, si meliora suggerat. Hæ formula seruiunt tantum rudioribus: Nullius libertati præscribitur. Tantum ne ab ea ratione discedatur, quam nobis Iesus Christus præscripsit. Spiritus enim sanctus, qui aliqui tacentibus nobis, atq; adeo ignorantibus quid orare nos oporteat, non desinit patrem interpellare gemis inenarrabilibus, cum is apud tribunalia subministret, quæ dicenda sint, non deerit nobis cum uera fide coram Deo nos sistemus sensu orationis excitati.*

Matth. 6.

Rom. 8.

Matth. 10.

## LITURGIA

## BAPTISMI.

**I**N Baptismo id cauetur in primis, ne alibi quā in Ecclesia ministretur, dum ipsa cōuenit ad audiendū

\*Tim. 4.

verbum Dei. Omnia enim (inquit Apostolus) verbo dei sanctificantur. Quanto igitur magis sacramenta administrare oportet cum verbo, quo sine nihil sunt. Siquidem ipse Christus ita etiam iubet, Cœnam fieri in sui memoriã, id quod Apostolus prædicare mortem ipsius interpretatur: quando autẽ baptisma instituit, diserte præcipit prædicare Euangelium, ac proinde non alibi quam in Ecclesia & post concionẽ verbi Dei habitã. Quid enim aliud est baptismus quam autoramentũ quoddam, quo infans ab Ecclesia Christi membrũ agnoscitur, simulque ipse & signaculum accepit iustitiæ fidei ac renouatiõis per Christum, et toti Ecclesiæ cõmendatur.

Adsunt igitur in concione pater aut susceptores (quos paternos vocant) si eorũ fides Ecclesiæ testata est; aut parati sunt eam testatam facere. Nam si hoc nomine potissimum tamus infantes baptizandos, quod

foedus

Baptizare oportet, nisi forte incidat occasio zalis cuiusmodi legis Acto. 8.

foedus Dei cum parẽtibus ad ipsos etiam pertineat; quis dubitat parẽtum saltem alterũ, aut fidei iussores (qui ibi totius Ecclesiæ nomine astant) debere agnosci mēbra Christi ab vniuersa Ecclesia? Nam inibi fidei iubetur ac spondetur pro infante in eam fidem ac doctrinam religionis, quam Ecclesia tenet & profitetur. Tam sancta igitur res cum sit baptismus, ne cui mirum videatur si sancte ministretur in Ecclesia.

*Finita concione Minister Ecclesiam admonet de infantulo baptizando, ut cuncti maneant. Tum sic è suggestu incipit, astantibus reliquis Ministris & senioribus.*

**A**diutorium nostrum in nomine Domini, Amen.  
Hunc cœne puerum attulistis baptizandum? Respon. Ita.

*Hic Minister subiicit breuem monitionem de Baptismo, Cuius hæc est formula, nisi quid ille sua sponte possit melius.*

*Nota quod si plures sint pueri, si mul omne: sistuntur, tumque hic & in sequentibus vbique mutandus numerus.*

**Dominus**

Ioan. 3.

**D**ominus noster abunde testatū nobis fecit, quam inopes & miserinascamur omnes, cū docet, quod renasci oporteat. Etenim magnum argumentum est inde a prima origine, prorsus vitiatos & corruptos esse ac maledicto obnoxios, si non ante regno Dei potiri liceat, quam renati ac renouati simus. Cū igitur huius humiliationis nos admonet, vt toti nobis displiceamus ipsi, certe inuitat, imo excitat etiam ad misericordiam ipsius totis votis exponendam, qua vitiositas illa nostræ originis, ac maledictū penitus tollatur. Neq; enim prius hac frui datur, quam omnē illam fiduciam nostri deposuerimus, dico opinionem omnīs virtutis, iusticiæ, aut sapientiæ cuiusquam: quo nos ipsos, nostraq; omnia damnata esse cognoscimus.

Porro autem non solū huius nostræ miseræ nos admonet, sed simul consolatur sua misericordia:

renascens

renascentiam hanc per spiritum suum promittens, quo spiritu accepto in vitam æternam transferamur: atque huius translationis institutū a Christo obsignaculum in Ecclesia accipimus.

Porro hoc renasci duobus potissime constat. Primum, ut nos ipsos abnegemus, hoc est, ne amplius nostræ rationi innitamur, vt illius placitis obtemperemus, & desideria voluntatis nostræ sectemur: sed ea omnia subiiciamus sapientiæ ac iusticiæ Dei, in quo versatur mortificatio nostri, ac nostræ carnis, eorumque omnium, quæ in nobis sunt, neglectio.

Alterum est, vt lumen Dei sequamur, eiq; vni placeamus & obediamus, sicut nos suo verbo docet, eodemq; suo spiritu agit. Quæ ambo non nisi in vno Christo nobis præsto sunt, & perficiuntur absolutissime: cuius videlicet morti ea vis inest, vt si huius efficiamur participes,

pes,



pes, statim peccato quasi moriamur  
ac sepeliamur, mortificata carne cū  
desiderijs eius om̄ibus. Deinde ve-  
ro vi resurrectionis ipsius nos in vi-  
tam aliam excitamur, qua soli Deo  
viamus, cum spiritu eius excitati,  
ab eodem spiritu ducemur ac gu-  
bernabimur in om̄ibus: quo etiam  
nostra gratissima & acceptissima  
illi futura sunt omnia.

Attamen id summum in proce-  
randa & efficiēda salute nostra est,  
vt is pro sua misericordia nobis om̄-  
nia peccata cōdonet, ne amplius  
imputentur: adeoq; penitus obli-  
retur eorū memoria, vt nullo prorsus  
loco sint apud eius iudicium.

Que beneficia omnia tum in nobis  
obsignantur, atq; cum per baptis-  
ma, veluti autoramento quodam  
in Ecclesiæ suæ corpus recipimur:  
cum nil aliud velit Deus hoc Sacra-  
mento, quam oim̄ peccatorū remis-  
sionē nobis quā testatissimā & fir-  
missimā facere. Proindeq; in Sym-  
bolum

bolum huiusce rei aquam vsurpa-  
uit, quo significationem satis ma-  
nifestam daret, non secus animos  
nostros sanguine Christi ablui, pur-  
garique ab omni vitiositate, quam  
sordes corporis aqua eluuntur. In-  
super ibi etiam quasi instrumento  
quodam operatur & perficit plenā  
nostri innouationem: quæ (vt iam  
diximus) eo constat, vt carne nos-  
tra mortificata peccato, in vitam  
nouam, eamq; spiritualementem excites-  
mur ab eius spiritu.

Itaque duplex inibi beneficium  
consequimur & gratiam geminam  
a Deo nostro: tantum ne Sacra-  
menti huius uim eneruemus vlla  
perfidia aut diffidenti ingratus-  
dine.

Certum enim hic accipimus a  
Deo testimonium, quod velit ipse  
nobis esse pater, nolitq; vlla pecca-  
ta aut offensas vllas amplius impu-  
tari. Nec id solū, verū etiam suo spi-  
ritu ferre suppetias, quo possimus  
fortiter

fortiter aduersus diabolum, peccatum, & affectus nostræ carnis depugnare, ac tandem victores in libertatē regni sui, quod est iusticiæ regnum euadere.

Cum hæc ita habeant, sintq; ista omnia nobis præstita, perfecta & absoluta per gratiam Iesu Christi: consequitur, in ipso vno vim & substantiam omnem baptismi contineri. Neq; enim lauachrum vllum datum est præter ipsius sanguinē: nec aliud innouandæ vitæ mediū, quā per mortem & resurrectionē eiusdem. Enimuero vtī dona omnia gratiæ & misericordiæ suæ per verbum suum nobis defert, perficit autem in animis nostris interno spiritus sui motu omnia: consimili prorsus modo eadem præstat per Sacramenta & spiritum sanctum.

Porro optimo Deo nostro non satis fuit nos sibi adoptasse in filios, ac in suā Ecclesiam recepisse: verū vterius etiam benevolentiam suā

extulit.

extulit: Nempe vbi pollicetur, non tantum se Deum fore nostrum, sed nostræ sobolis etiam in millesimā generationem. Quamuis igitur filiorum liberi sint corrupta & vitia ta Adamī propago, nihilominus tamen fœdus hoc ratum sic habet in millesimum vsq; nepotem, vt totā hanc seriem nepotum pro filiis suis agnoscat. Atq; ea de causa principio nascentis Ecclesiæ suæ fuit nō adultos solum, sed ipsos etiam infantulos circuncisionis tesseram accipere: quo certe nil aliud testabatur aut portendebat, quā quod hodie per baptismum. Atq; illud iubere circuncidi, ac circuncidere infantēs testificatio fuit & notissima tessera adoptionis filiorum, atq; ipsius Dei quædam quasi obligatio erga nos, se nostrum fore Deum, vt parentū nostrorum, spiritu interim suo omnia reuera peragente in animis & mentibus, quæ externa actione continentur.

D

Postea vero quam Dominus Iesus ad nos in terras descendit, num imminutus est fauor Dei patris erga nos: an non potius foedus illud salutis adimpleuit, ac toti mundo commune fecit, quod antea Iudeos solos contingebat: Et dubitamus iam filios nostros eodem esse loco, quo Iudaeorum liberi erant, atque haeredes esse vitae promissae: Certe Paulus diserte asserit sanctificatos iam inde a matris utero, quos vno etiam hoc argumento maxime discreuit a filiis infidelium. Idem testatur Dominus Iesus de paruulis, quos amplexatus est. Ita enim narrat Matthaeus. c. 19:

*Euangelium quo infantes Christo offerendos, atque ipsorum esse regnum caelorum comprobatur.*

**T**VM (inquit) oblatis illi fuerunt puelli, ut ipsis imponeret manus, & fausta precaretur, ac benediceret. Verum discipuli eius obiurgabant eos. Quibus Iesus: Sinite (inquit) puellos venire ad me, nec prohibeatis eos, nam ad eiusmodi pertinet caelorum regnum. Haec

Haec sunt Christi verba, quibus ad puellos regnum caelorum pertinere asserit, atque eo nomine commendandos Deo patri censet, imo etiam manuum impositione sibi illos vendicat. Quo sane docemur, nequaquam puellos fidelium ab Ecclesia excludendos. Huic proinde doctrinae assentientes, puellum hunc in Ecclesiam eius cooptabimus, uti participationem eorum omnium, quae ipse suis promisit. Itaque pro hoc puello Deum orate mecum.

Domine Deus pater aeternae & omnipotens, Quandoquidem nobis pro tua immensa clementia promissisti, & testatus es, te Deum nostrum fore ac liberorum nostrorum. Rogamus pro hoc puello, eum hac tua benevolentia & favore digneris, ut cum ipso foedus etiam tuum firmes, qui parentibus natus est, quos tu quoque dignatus es Ecclesiae tuae consortio. Dignare puellum hunc in tuam clientelam

*Deinde*

D 2

recipere, vt sis illi Deus ac saluator, cōdonato peccato originis, cui omnes qui ex Adamo nascuntur obnoxij sunt; sanctifica eū tuo spiritu, vt cum adoleuerit, te Deum suū agnoscat & adoret, gloriamq; det nomini tuo per omnem vitam; & quotiescunq; te rogauerit, peccatorum suorum remissionem gratuitā impetret. Sit itaq; insitus Domino nostro Iesu Christo, vt tanquā corporis ipsius membrū hauriat inde abunde de bonis eius omnibus. Exaudi nos o Pater misericors, vt quē admodum iuxta mandatum tuū, iste a nobis hoc baptismi symbolo abluatur, & adoptatur, sic operante intus spiritu tuo fructum capiat omnium bonorum, quæ hoc Sacramento obsignari in nobis didicimus ex Euangelio Domini nostri Iesu Christi, cuius vnus fiducia te inuocamus supplices, sicuti ille nobis orandi formulam præscripsit, Pater noster, qui, &c.

Deinde

Deinde Minister parētes aut fideiussores rogat.

Vultis ne hunc puellum baptizari in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti?

Respondent illi.

Sane ita cupimus.

Tum Minister.

Siquidem admittendus hic puer in Ecclesiæ sodalitiū, Vos fidem datis ac promittitis totius Ecclesiæ nomine, cum ætas postulabit, daturus operam vt plene instituat in fide ac tota doctrina salutis populi Dei: Cuius summa est Symbolum Apostolorum, Credo in Deum patrem, &c.

Deinde parentem aut fideiussores sic allocquitur.

Vos ne igitur promittitis daturus operam, vt puer hic pro vestra virili in his omnibus instituat, quæ tota scriptura veteris & noui Testamenti continentur, vt ea credat, his nitatur, nempe certus, esse verbum Dei quod cœlo demissum est.

D 3

*Respond.* Ita,

Adhortabimini insuper vt vitā  
instituat ex præscripto legis Dei.  
quæ his duobus potissimum capiti-  
bus continetur. Primū, Vt amemus  
Deū ex tota mēte, toto corde, & cū  
ceteris viribus nostris. Alterum, Vt di-  
ligamus proximos nostros vt nos ip-  
sos. Ita illum docebitis, adhortabis  
mini, monebitis & castigabitis, vt  
est Christianorum omnium mone-  
re mutuum. Id ne pollicemini.

*Respondetur.* Sane.

*Hac sponsione facta, puero nomen imponitur,  
uel à patre, uel à fidei iussoribus.*

*Tum Minister, coram quo super mensam ap-  
posita est aqua pura puta in pelui, puellum bap-  
tizat, aquam manu capiti iniiciens his uerbis.*

*N. Ego baptizo te in nomine Pa-  
tris & filij & Spiritus sancti.*

*Deniq; sic puero fausta precatur atq; Eccle-  
siam dimittit.*

*Dominus Deus noster huic puel-  
lo, quem ad imaginem suā creauit  
& fecit, det, vt verum membrum*

*Christi*

*Hic si plu-  
res sint bap-  
tizandi sin-  
gulos ordi-  
ne nominat  
& baptizat.*

*Rursum  
mutatur nu-  
merus si  
plures sint.*

Christi sit, edatque fructus dignos  
adoptiōe filiorū Dei. Abite in pace.

*Postea nomen infantis & parentum aut fide-  
iussorum libro Ecclesie inscribitur.*

## LITURGIA BENE- DICTIONIS CONIUGII.

**S**ANCTISSIMO ac honestissimo mo-  
re a Christianis receptum est, &  
huc vsq; seruatum, ne cōiugia, nisi pu-  
blice & solenni quodam ritu ineāt  
homines, vt sua dignitas suusq; ho-  
nor cōiugio maneat, nec fraus vlla  
dolusue intercedat, sed bona fide  
omnia inter coniuges fiant: deinde  
etiā vt tota Ecclesia novos cōiuges  
Deo precibus suis cōmēdet. Proin-  
de si quos Deus ad hoc vitæ genus  
vocarit, postq; inter ipsos & parētes  
eorum (Si sint adhuc in patria pote-  
state) ita constitutum & ratum fue-  
rit, dataq; fide firmatum, certior Mi-  
nister, factus, tribus Dñicis diebus  
de eo communefacit Ecclesiam,  
vt orent omnes pro desponsis: & si  
quis aliquid intelligat, quo minus

D 4

iungi possint, in tēpore admoneat. Denicq̄ diem ipsum populo denun-  
ciat, quo cōceptum coniugium solen-  
ni ritu absoluat coram tota Eccle-  
sia. Adfuntq̄ omnes frequentes,  
cum vt orent pro desponsis, tum vt  
audiānt & discant semper verum  
vsū cōiugij, & coniugum officij.  
Cauetur id in primis etiam ne quic-  
quam prāter decorum fiat, aut mo-  
destia Christiana negligatur. Absq̄  
igitur citharis, tibijs & tympanis, et  
cum modico & honesto apparatu,  
qui Christianos deceat, accedūt ad  
audiendum Dei verbum; quo sine  
nil sanctum, per quod sanctifican-  
tur omnia nostra instituta & opera.

*In ingredientibus igitur sponsis, ab Ecclesia de-  
cantatur Psalmus 128.*

*Tum minister concionem more solito absol-  
uit, aut si uideatur, periochen ex scriptura pra-  
legit tempore & rei conuenientem. Ac deinde  
concionatur de tota institutione coniugij, uti ha-  
betur Gene. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7. Colof. 3. 1. Ti-  
moth. 2. Tit. 2. Pet. 3. Ex quibus et alijs locis ipse  
profert*

*profert quicquid admonendum, hortandum, con-  
solandum, & docendum perinet, His peractis,  
& precibus dictis pro more, immediatē astanti-  
bus coniugibus sic incipit.*

Adiutorium nostrum in nomine  
Domini, &c:

**D**EUS Pater noster postquam cre-  
asset cœlum, terrā, & quicquid  
ipsis continetur, hominem creauit  
ad imaginem et similitudinem suā,  
qui dominaretur bestijs terræ, pia-  
scibus maris, & volucris cœli.  
Verū creato homine dixit; Haud  
quaquam bonū, hominem esse so-  
lum: faciamus illi adiutorium simi-  
le ipsi. Tumq̄ iubente Deo sopor  
Adamum inuasit, cui dormienti co-  
stam vnā abstulit, e qua Euam for-  
mauit: hoc nimirum designans, vi-  
rum & vxorem vnā esse carnem,  
& sanguinē eundem. Quapropter  
homo relictis patre & matre, sese  
vxori adiunget, eamq̄ amabit vt  
Christus Ecclesiam, pro qua mor-  
tuis est. Mulier contra marito pare-

Gene. 1.

Matth. 19.  
Eph. 5.  
Coloff. 3.  
1. Per. & 2.  
Gene. 3.

bit, ac subiecta erit in omni sanctitate & honestate. Nam sub potestate viri est quoadiu viuit ipse.

1. Cor. 7.  
Matth. 19.

Coniugio porro sanctissimo simul ac omni honore dignissimo inest, ne maritus sui corporis ius habeat, sed vxor: nec vicissim vxor sui, sed maritus. Proinde quos Deus coniunxit, nunquam diuelli possunt, nisi si fornicationis causa: aut ad tempus mutuo consensu, vt ieiunent & orent, cauentes ne per incontinentiam suam a Satana tententur. Ideo iubentur mox reuerti ad conuictum & consuetudinē solitam. Nam fornicationis vitandæ gratia debet vnusquisque suam habere vxorem, & vnaquæque virum suum: adeo, vt qui non continent, iubeantur iungi matrimonio, ne templum Dei sanctum, quod est corpus nostrum, violetur aut commaculetur.

1. Cor. 7. 1. 6.

Quandoquidem igitur corpora nostra sunt Christi membra, nimis tum hoc scelus atrox foret, si meretricis

tricis membra fierent. Oportet itaque que illa sancte asseruari & coli. Si quisquam enim templum Dei violauerit, perdet illum Deus.

2. Cor. 3.  
Si plures erunt, omnes ordine appellabuntur.

Vosne N. & N. intelligitis hanc esse Dei voluntatem, atque ita viuere instituisitis in hoc vite genere, quod scimus tam cumulate Deum exornasse? Idne apud vos ita decreuisitis, aecoram tota Ecclesia testamini, petentes etiam ea comprobantē vestras voluntates iam ratas haberi?

Respondetur, Ita.

Rursum Minister.

Vos omnes quotquot adestis testes huius facio, ac memores esse iubeo: Tamen si quisquam est, cui nota sint causæ, cur minus isti iungi possent, rogāmus, palam enunciet.

Nemine quæquam allegante, Minister coniuges his verbis alloquitur.

Cū nihil obstat, nemo etiā quidquam contradicat, confirmet vestrum hoc institutum, ac sanctissimo nexu vos iungat Deus, qui fecit cælum & terram, Amen.

Tuna

*Tum singulos alloquitur, ac sponsum prius.*

Tu N. fateris hic coram Deo & sancta eius Ecclesia, quod accepisti ac iam etiamnum accipias in vxorē N. quam hic præsentem aspicias, cui cum fide coniugij polliceris omnia modam cum summa sedulitate tutelam, vti maritum decet pro vxore esse sollicitum, vt cum ea vitas sancte iuxta verbum Dei & Euangelium ipsius:

*Respondetur, Ita.*

Deinde sponsam huius sic alloquitur. Tu quoque N. fateris coram Deo & Ecclesia eius sancta, quod accepisti, & nunc etiam accipias in virum & maritū legitimum N. quē hic coram aspicias: Cui præter coniugij fidem polliceris omnē obedientiam, officium atque obsequiū omnē cum vitæ castimonia, vti decet sanctam & piam foeminam, iuxta verbum Dei & ipsius Euangelium:

*Respondetur, Ita.*

Deinde ordine omnes simili modo rogantur,  
*si forte*

*si forte plures adsint sponsi & sponsæ.*

*Rogatione hac facta Minister ita bene precatur iussis illis dextras iungere.*

Pater omnis misericordiæ, qui ad hoc vitæ institutum vos vocauit, idem vobis benedicat, & suum spiritum largiatur in nomine filij sui Iesu Christi, qui etiam præsentia sua, ac primo miraculo, quod in vita coram discipulis fecit, sanctissimum hunc ordinem ornare voluit, det etiam vt illum glorificetis per omnem vitam, Amen.

*Audite Euangelium, quo discatis quanta fidelitatis Deus coniugium colit, quamque firmum sit ac insolubile. Ita enim habetur Matth. 19.*

Pharisæi accesserunt ad eum, vt tentarent, rogantes: Num licet viro quamcūque ob causam repudiasse vxorem? Quibus respondens, dixit: Num legistis, quod qui hominem ab initio creauit, fecit eum maritum & foeminam, & dixit: Ideo relinquet homo patrem & matrem, vt adhæreat vxori suæ, et erunt duo  
*in car*



in Carnem vnam, adeoq; non amplius duo, sed vna caro. Quos igitur Deus iunxit, homo ne separet.

*Deinde sic coniuges admonet.*

**C**Redite his verbis Domini nostri Iesu Christi. Nec dubitate vos ab ipso iunctos. Viuite igitur sancte & caste, cum summa dilectione, pace, & concordia, colentes in primis veram ac synceram charitatem & fidem conjugalem iuxta verbum Dei.

*Hic tota Ecclesia procumbit in genua: Tum Minister sic inquit.*

*Oremus unanimes Deum.*  
**D**Eus omnipotens, optime, maxime & sapientissime, qui ab initio præsciuit non expedire homini esse soli, ac proinde adiutricem illi adiunxisti cum mandato, ut duo essent in carnem vnam, Rogamus te & humiliter deprecamur, quando ita visum est tibi, vocare istos ad hunc sanctissimum vitæ ordinem, digneris pro tua clementia & bonitate

tate spiritum tuum sanctum illis conferre, ut in vera et solida fide ita sancte viuant, uti gratum & acceptum tibi est, superatis omnibus affectibus, ad ædificationem reliquorum electorum, cum omni honestate & vitæ castimonia. Benedic illis, sicut fidelibus tuis seruis Abrahamo, Isaac, & Iacobo, ut sancta prole aucti tibi seruiant, ac laudem omnem attribuunt, prolem denique susceptam ita educant & instituant, ut inde etiam lauderis tu, ac ædificetur Ecclesia tua. Exaudi nos Pater misericors per Dñm nostrum Iesum Christum dilectum filium tuum, Amen.

Dominus in vos abunde gratiarum suarum dona omnia conferat, detq; vna diu feliciter & sancte viuere.

*His dictis canitur ab Ecclesia Psalm. 113. quo decantato dimittit Minister Ecclesiam cum sua precatione.*

*Nomina porrò coniugum & dies libro Ecclesie adscribuntur.*

De

## DE VISITATIONE

ÆGROTORVM

**V**Eri & fidelis Ministri officium est, non solum publice populū, cui præest, instituire, sed totis viribus vrgerè singulos, monendō, cohortando, castigando, & consolando.

Nunquam porro magis necessaria est homini Christiano doctrina tota & disciplina Dñi nostri Iesu, quam cum visitat eum Dominus, et castigat morboali quo, vel quouis alio malo, Maxime autem omnium imminente morte. Tum enim magis quam vnquam antea suos aculeos conscientia exerit, stimulante iudicio Dei, coram quo iam sisti se videt infirmus. Tum Satan impressionem vrget validis arietibus, quo miserum (si possit) de gradu aliquo pietatis, fidei, & constantiæ deiecitur prosternat, pessundet, atq; ad inferos proruat.

Ministorum itaq; omnium officium

## DE VISITAT AEGR. 65

cium est ægrotos inuisere, & solari verbo Dei. Nempe vt intelligant, quæcumq; acciderūt a Deo esse, qui pro sua prouidentia clementi nihil suis imponit, nisi salutare & bonū. Huc adducuntur ex scripturis quæcumq; tēpus & persona postulant.

Quod si cum periculo etiā ægrotare conspexerit, tum consolando longius progredietur, orationē semper ad ægri mores, fidem & pietatē accommodans, vt vt affectum vide rit, Etenim si sentiat mortem horro ri esse, huc cūniculos diriget, vt hęc hostis impressionem auertat, infirmumq; docebit, in morte nihil triste aut deplorandum contingere fidelibus, quibus est Christus viæ ductor, ac certissimus adiutor et defensor, quo ductore nō aliud quidquā sit mors, quam transitus ad vitam eandem, quam ipse est ingressus. Huiusmodi consolationum argumētis horrorem illum discutiet. At

ubi senserit conscientias ob iudiciū

E

Dei territas, statim huc admouebit omnia auxilia ad fulciendum animum aduersus tantum impetum. Sin paruo, aut leui sensu peccatorum affici senserit, non dissimulabit iudicium Dei, in quo nunquam posset subsistere, nisi per misericordiam Dei, cuius tamen haudquaquam esse particeps queat, nisi poenitentia serua excitatus, fide solida Iesum Christum toto pectore atque ambabus vlnis amplexatus, hunc vnum saluatorem & liberatorem agnoscat. Contra, si viderit sensu peccatorum angustiam ostendat, ac ob oculos ponat Iesum Christum, in quo peccatoribus omnibus quantumcumque miseris (modo de se desperent, non autem de Christo) certissimum est praesidium, & salus praesentissima. Bonus itaque Minister rationem inibit, quae optima maximeque idonea videbitur consolando egrotum, utcumque tandem affectum viderit. Neque quicquam adferet, nisi verbum Dei.

Dei. Et si res suppetet, atque infirmus erit pauper, ipse eleemosynam aliquam dabit, aut aliunde curabit, quo succurratur etiam corporis necessitatibus. Nullo enim labori debet parcere, nullum officium detrectare, quo sit omnibus exemplo.

## DE EVCHARISTIA

## MINISTRANDA

## Aegrotis.

Quod si aegrotus Eucharistiam petat ipso die quo coena domini celebratur, mittitur vnus ex ministris cum pijs aliquot, qui cum egrotato communicent. Quamuis diligenter monendus est aegrotus, vt fiducia omnem potius in promissis Christi, quam in ceremonijs collocet. Ne reducatur opinio illa operis operati.

## IN FVNERE.

FNus effertur a certis hominibus in commune coemiterium.

*N.B. Contra Albertinum Weittenbergensem, qui miserum peccatorem statim ab hoc sacramento excludit.*

Sequuntur proximi ac tota Ecclesia, magna cum modestia, praeun-  
tibus ministris. Vbi ad locum ven-  
tum est, condito humi cadauere, ha-  
betur breuis concio de morte ac re-  
surrectione mortuorum, cum com-  
mendatione defuncti, si quas ha-  
buerit virtutes; quarum exemplis  
possit Ecclesia aedificari. Tum fa-  
cta oratione pro Ecclesia, vt Deus  
det sic vitam hanc transigere, vt per  
mortem transeamus in regnū ipsi-  
us, ac tandē in vltimo die per Chris-  
tum omnes resurgamus ad beatā  
immortalitatem dimittit populus.

DE ORDINE MINI-  
STRORVM, ET EORVM  
institutione, ac disciplina  
Ecclesiastica.

*De conuentu Ecclesiastico.*

SCiendū in primis quod nunq̄  
habetur cōuentus aliquis Eccle-  
siasticus (habetur autem singulis  
septimanis) sine lectione alicuius  
loci

loci ex scriptura, & oratiōe p̄ dono  
sp̄ritus sancti. Deinde vnus Minis-  
trorū toti cœtui rē de qua conuene-  
rint exponit; & ceteri deinceps, si  
quid habēt, referūt. Deinde rogant̄  
a Ministro, singulorum sententiā.  
Ac datur opera, vt cuiq̄ fiat satis.

DE ELECT. MINISTRORVM.

PRimum Minister totius Ecclesie  
suffragiis designat̄. Conueniunt  
ipsi Ministri & Seniores cū reliquis  
aut praeipuis pastoribus aliarum  
Ecclesiarū eius vrbis; ac totam Ec-  
clesiam quæ adest admonent de no-  
uo Ministro eligendo, simul gra-  
uissime commonefaciunt officij sui  
in hac electiōe, vt Deum in primis  
orent, ac nemini præterea indicent  
aut communicent suum suffragiū;  
& duos aut plures proponūt, quos  
ipsi idoneos censent. Nectamē Ec-  
clesiam cogunt ex his propositis eli-  
gere (nemini etenim ius suffragij  
eripitur) tantum viderint ut idoneū

aliquē tantæ functioni eligat. Atq; ea potissimum de causa proponunt aliquot ipsi Seniores, ne plebs forte aberret affectuum impetu, aut ignorantia & iudicij inopia.

Ad suffragia porro colligenda dantur uiris singulis fidem professis in Ecclesia singulæ chartulæ, quibus sunt inscripta nomina eorū qui sunt Ecclesiæ propositi & nominati: ut, cæteris expunctis, illius nomen tantū urnæ imponant, quæ apud suam conscientiam, corā deo quisque dignum suo suffragio iudicauerit: ac singuli ordine accedunt, astantibus ministris & senioribus, ne qua fraus, aut quidquam minus cum reuerentia peragatur. Deinde palam extrahuntur chartulæ, & numerantur suffragia. Cui porro contigerint plura, is a Ministris & Senioribus Minister publice pronūciatur electus. Deinceps certo quodā die iste nominatus a Ministris & Senioribus Ecclesiæ examinatur, num ijs dotibus præditus sit,

quæ Ministrū decent. Interea populo etiam ius est si quid dignū reprehensione cognorit, opponere. Tandem die aliquo celebriori, puta die Dñico, ab alijs Ministris & Senioribus coram tota Ecclesia Minister nominatur, consalutatur, & manuum impositione omnium assensu instituitur & confirmatur. Atq; hæc summa ordinationis Ministri.

## DE ELECT. SENIORVM.

Seniores sunt ex tota Ecclesia præstantissimi viri, digni quos etiam priuatos omnes reuereantur, qui Ministris adiunguntur in administratione, ad causas omnes iudicandas. Atq; hi sunt numero duodecim aut plures etiam, si tot possint reperiri hoc loco & ordine digni totius Ecclesiæ iudicio. Cum igitur euenerit, ut huic numero defint aliqui, tum Minister cū reliquis Senioribus consilio habito dispiciunt, numnam aliqui hoc loco digni sint in Ecclesia.

Vbi ipsi consenserint, vnus ex Ministris die Dominico pro concione Ecclesiam admonet, opus esse presbytero socijs aliquot: & si duobus opus est aut pluribus, duplū numerum proponit, eorum quos ipsi idoneos iudicauerint. Hic postquā adiuuerint Ecclesiam qualesnam esse Seniores oporteat, iubet aliquot diebus, ut minimum 15, diligenter uisitare & iudicare apud se unūquēq, quos ex toto cœtu dignos censeat suo suffragio. Ac post trinam eiusmodi admonitionem, aut minimū secundam, proximo die Dominico iubentur adesse.

Post concionem quæ sit huic electioni conueniens, vnus ex Ministris apud mensam aut suggestum cum reliquis Ministris & Senioribus confidens, paucis totam Ecclesiam admonet sui officij, ac muneris eorū quos iā cooptaturi sunt in ordinē Seniorum. Deinde singuli accedunt ac sua suffragia p̄ sortes missas dant,

dant, uti antea in electione ministrorū præscriptū est. Quibus recēditis, in quos plura consenserint, ij presbyteri nominantur. Interea tamen datur illis ad deliberandum tempus, ac toti Ecclesiæ iudicandi relinquuntur. Post octiduum iussi adesse nominati post concionē matutinam cingentibus Ministrum reliquis Ministris & Senioribus, rogantur, num hoc ministerium in se recipiant: quamuis nō temere quisquam se potest excusare aut eximere, nisi magnis de causis, quādiu in eadem ciuitate habitat: quoniā in fidei professione singuli se ita obstringunt Ecclesiæ. Deinde rogatur tota Ecclesia, num in hos consentiat. Vbi silentio assensum significant, Ministri & Seniores manus imponunt, & hos in ordinem presbyterij cooptant, commendantes Deo, ut suo spiritu ampliore augeat, quo possit huic functioni satisfacere.

Ipsi Seniores ex suo numero duos nominant, qui componendis litibus præsent; ne temere suum concilium rebus leuioribus turbetur, atq; a grauioribus rebus gerendis auocentur. Ad seniores tandem illi causas referunt, si tentatis omnibus nulla concordiam inire queant.

In omni electione id seruatur: Ne quis suffragium ferat, nisi qui fidem antea sit professus. Nam reliqui nullo numero, nullo ordine censentur.

## DE ELECTIONE

*Diaconorum.*

**D**IACONOS habent octo, aut quot Ecclesie opus erunt, qui eleemosynis present, & pauperum ac infirmorum imprimis curam gerant. Nec minore grauitate aut alio modo horum electio fit, quam Seniorum. Tantum hoc interest, quod hoc ministerium non est nisi annuum; quo liberum sit Ecclesie, ad finem anni, rationibus Eleem. auditis,  
vel

vel illos in sequentem annum confirmare, vel alios in eorum locum substituere.

DE DISCIPLINA ET  
*excommunicatione.*

**P**orro quantum ad vitam corporis est necessarius spiritus & habitus, quo represso necesse est statim hominem extinguere, ita est usus disciplinae & fraternae correctionis, in Ecclesia: quam ipsi seruo exercent in omnes rebelles & prefractae pernicitiae viros seu mulieres: qui admoniti resipiscere ac poenitentiam vitae prioris agere recusent. In publicis criminibus statim publica poenitentia exigeretur, aut excommunicaretur pertinax. In occultis autem, principio clam & priuatum, deinde adhibitis testibus, ac tandem in concilio Seniorum admonetur. Post ubi nihil profici videtur, vnus ex Ministris scelus et hominem Ecclesie pessima facit, vt vel hac ratione pudeat.

Denique

Deniq; si post trīnam eiusmodi monitionem pergit obstinate agere, quarto die Dominico excommunicatur, & sacris omnibus illi interdicitur, nempe Sacramentis & precibus. His enim temporibus iubetur ab Ecclesia secedere. A concionibus nunquam arcetur. Imo nunquam desunt qui priuatim agant et ad penitentiam hortentur. Cuius si signa certa dederit, tum conuocata Ecclesia, iubetur culpam criminis agnoscere, ac deinde illa cōsentiente rursus ad precum & Sacramentorum communionem admittitur. Verum de hac disciplina nos plura prope diem adiuvante Christo. Itaq; hæc missa faciemus.

Id autem ad disciplinam pertinet, quod nemo huic Ecclesie accensetur, nisi prius fidem huius Ecclesie publice approbauerit. Alioquin non admittitur quisq; ad vllius Sacramenti cōmunionem, ac ne baptisimus quidem vllis confertur, nisi pa-  
rentum

rentum alter ita fidem sit p̄fessus: nec cōiugio benedicitur, nisi prius fidem approbauerint coniuges.

Nomina porro eorum qui fidem profitentur libro Ecclesie inscribuntur.

Atq; ea est tota ratio Liturgiæ & disciplinæ vniuersæ huius Ecclesie, quam Dominus Deus confert. Benedicat etiam & benefaxit amplissimo Senatui Francofordiano, qui tanta humanitate in medijs hisce procellis pios exules apud se sustinent, ac fouent, omniq; studio & fauore prosequuntur. Faxit Christus, vt quicunq; hæc legerint intelligant, atq; ex animo incumbant in pleniorē instaurationem Ecclesie Dei, atq; horum exemplo

peregrinos & exules  
ment, ac foueant,

Amen.



# PROFESSIO FIDEI CATHOLICAE QUAM OMNES PVBLICE AP-

*probare, ac subscriptione cōfirmare oportet*

*priusquam aut Ecclesie accenseantur,*

*aut sacramētis ulla in parte commu-*

*nient in Ecclesia Peregrinorum*

*Francfordis.*



VM nihil sit homine  
Christiano vel dignius,  
vel magis foelix, ad quē  
solū pertineat summū  
illud bonum, quod mor-

tales omnes expetunt: operæpretiū  
est, vt vnusquisq; certo sciat quo cō-  
fiteatur verus Christianismus. Porro il-  
lud omnibus in confesso est, haud  
quaquā nos a prima nostra origine  
Christianos esse: sed fieri, aut si ma-  
uis, renasci ac regigni. Nāq; primo  
illo nostro ortu cum toti simus dam-  
nati Deoq; aduersarij; certe ne tan-  
tillum quidem in nobis habemus

opis

Non nasci-  
mur sed re-  
nascimur  
Christiani.

opis ad consequendum Christianis-  
mum, nisi nos Deus regnat, ac to-  
tos reformet. Id quod luculente sa-  
tis Ioānes docet, simul qua ratione  
Christianismū consequamur osten-  
dens, cum dicit: Datam hominibus  
potestatem, vt filij Dei fiant, credē-  
tibus in nomen ipsius vnigeniti, nō  
autem natis ex sanguine, aut ex vo-  
luntate carnis, aut voluntate viri,  
sed ex Deo renatis. Per necessariū  
itaq; fuerit in primis nosse, quid, aut  
quale sit illud, credere, quo a Deo  
regimur, ac filij Dei, hoc est,  
Christiani efficiamur. Sic itaque di-  
cimus.

Credere, est certissime persuasum  
esse de benevolentia & favore Dei  
erga nos, spiritus. mentes nostras  
lumine suo perfundente atq; obfig-  
nante cordibus nostris hanc certis-  
simā persuasionem, quod simus  
adoptati in filios Dei per Christū.  
Atq; huius fidei fundamētū vniciū  
existit sacrarū literarū, quas nobis

Pro

Ratio Chri-  
stianismi.

Ioan. 9.

Credere  
quid.

Fundamen-  
tum fidei.

Prophetæ & Apostoli dictante spiri-  
ritu sancto scriptas reliquerunt. Cu-  
ius doctrinæ extat in Ecclesia com-  
pendium quoddam quod symbolū  
Apost. vocant: quo, tanquam gno-  
mone, vtantur rudiores ad dñjudicā-  
dam deinceps omnem doctrinam.  
Illud porro sic habet.

Symbolum  
Apost.

*Credo in Deum patrem omnipotentem, crea-  
torem cœli & terræ.*

*Et in Iesum Christum filium eius unicum Do-  
minum nostrum: qui conceptus est de spiritu san-  
cto, natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio  
Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus est, de-  
scendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortu-  
is: ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei pa-  
tris omnipotentis, inde uenturus iudicare uiuos  
& mortuos.*

*Credo in spiritum sanctum:*

*Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum  
communione, remissionem peccatorum, carnis  
resurrectionem, & uitam æternam Amen.*

Symboli se-  
ctio.

Symbolū istud cū vniuersa doctri-  
na Christianismi recte in partes,  
seu locos præcipuos quatuor secas-

TUR;

tur. Prim. est de Deo, ac de Deo pa-  
tre, Secūd. est de filio eius Iesu Chri-  
sto. Tert. de spiritu. Quart. vero de  
Ecclesia. De quib. nunc ordine quā  
simplicissimè nobis dicendum.

## PARS PRIMA.

Quod hanc partem attinet, scire  
illud in primis oportet, Nos neque  
nouisse, neq; adeo posse salutariter  
cognoscere Deum, nisi filio docen-  
te, & reuelāte, in quo videlicet vno  
id de Deo discamus, quanto fauo-  
re, quanta beneuolentia nos profes-  
satur pater cœlestis. Atq; hacten-  
us simus contenti. Dicemus itaq;  
quam simplicissimè Deum definiē-  
tes iuxta literas sacras: Deus est spi-  
ritus æternus ex se subsistens absq;  
principio, sine carē, in quo omnis  
potentia, dominatus, bonitas, iusti-  
tia: sapiētia, ac deniq; virtus omnis:  
qui cuncta e nihilo creauit solo ver-  
bo, atq; eodem sustinet, perpetuat,  
regit & moderatur solo verbo &  
prouidentia sua: qui pro sua clemē-

Deus cogno-  
sci non po-  
test, nisi per  
Christum.  
Quæ cog-  
nitio Dei in  
Christo re-  
uelata.

Deus quid,

F

ti misericordia, nobis omnia peccata condonat: & quamuis vnus idemq; simplicissimus existit, attamen est tribus distinctus personis, patris, filij, & spiritus sancti, sic distinctis, vt pater non sit filius, neq; filius sit spiritus. sint tamen vnus Deus, vnus eiusdemq; essentia, potentia, sapientia, atq; omnis virtutis & sempiternitatis: quem nosse est vita aeterna.

*Credo in* Deum patrem spiritum sanctum, sed gignit sempiternum filium: cum ipse a nullo sit genitus. Atq; in eum ipsum Deum nostrum credimus, patrem  
*Causa cur pater dicatur.*  
 1. omnipotentem &c. Nomine patris  
 2. profitemur, illum esse primum principium, fontem, ac originem, & causam efficientem primam omnium rerum: per quem cum subsistant omnia, ipse tamen per se subsistens haud aliunde habet vt sit quam a seipso.

Præterea pater verissime appellatur

latur ratione filij sui vnigeniti (qui est altera persona in d. triade) quem ab æterno ex sua ipsius essentia genuit.

Denique patrem quoq; nostrum agnoscimus, non tantum qui simus ab eo creati, vt reliqua creata: sed qui simus eius filij, non natura quidem, sicuti ille est, qui vnus est cum ipso Deus, verum adoptione. Nempe quod nos per solam clementiam suam ante mundi constitutionem elegerit, nulla ratione habita boni vllius quod in nobis foret: ac postea suo tempore iam ab æterno sic præfinito redemit per sanguinem filij sui, & postremo tandem cum mortui essemus per peccatum, atq; adeo toti ire filij maledicti obnoxij, ipse pro sua tantum misericordia, qua nos elegerat vocauit per Euangelij prædicationem, semineque spirituali verbi sui regnans in nouam creaturam, fecit vt essemus filij adoptionis, spiritu sancto hæc omnia

Renascētia  
1. Bonitas  
dei.

operante atq; obfignante in nobis.  
Cum itaq; credimus & profitemur  
eum esse patrem nostrum, in eo sa-  
ne immensam eius bonitatem &  
beneuolentiā erga nos sentimus &  
agnoscimus: vt absq; diffidētia vlla  
audeamus illo vno niti: non aliunde  
boni aliquid præterquā ab ipso  
solo sperantes aut exoptantes.

Omnipoten-  
tem,

Profitemur insuper omnipoten-  
tem, qui omnia quæcunq; velit pos-  
sit. Neq; id modo, verum illud etiā  
nomine omnipotētiæ agnoscimus:  
nullam præterea esse potentiam,  
dignitatem, seu excellentiam legiti-  
timam in celestibus aut terrenis, ni-  
si quam ipse contulerit. Quo sane  
confidentius in illum vnum fiduciā  
omnem collocamus, certissime per-  
suasi, quod non solum velit bene  
quia pater est opt. sed & præstare  
illud possit, cum sit Deus omni-  
potens. Proinde iam animo nostro me-  
tus omnis eximitur vanus, stultaq;  
fiducia creaturarum omnium quæ  
lescunq;

2. Potentia  
Dei.

lescunq; illæ sint: quarum prorsus  
est nulla vis, nisi volente ac iubente  
te Deo.

Deniq; profitemur creatorem *Creatorem*  
cœli & terræ. Eo non solum agno- *cœli & ter*  
scentes illius incomprehensibilem *ra,*  
bonitatem, & infinitam potētiam,  
sed cum his etiā coniunctas sapien-  
tiam ac prouidentiam. Itaq; quem  
admodum de illius bonitate & om-  
nipotētia persuasi nihil dubitamus,  
quin ille nobis tantum velit quod  
est optimum, idemq; possit suo tem-  
pore præstare: similiter de illius sa-  
pientia certissimi sumus, quod ipse  
probe norit quæcunque vere nobis  
bona sunt, vtilia, & salutaria. Imo  
qualiacunq; sint aut videantur ea  
quæ subinde nobis eueniunt: ille ta- *3. Sapientia*  
men nouit ea suis conuertere in *Dei.*  
vsum bonum & salutarem, et ad sui  
nominis gloriam.

Postremo sic de prouidentia sta- *4. Prouiden-*  
tuimus, cuncta quæ fiunt aut eue- *tia Dei,*  
niunt, esse ipsi Deo certissime ab

æterno præuisa, cognita, & constitu-  
ta, atq; adeo præsentia priusq; reue-  
ra existant, fiant, aut sic eueniant,  
proindeq; mundum vniuersum sic  
regi ab ipso vno, nihil vt in eo fiat,  
vel accidat, nisi Dei solius arbitrio  
& volūate. Non qui peccati vllius  
propterea autorē Deum faciamus,  
cum sit ipse is Deus, cui nulla place-  
re possit iniquitas. Peccatum porro  
quod in factis hominum existit ab  
ipforum est voluntate praua, non  
a Deo iustiss. & iustitiæ omnis amā-  
tiss. Ex hoc porro tantam fiduciam  
concepimus, vt illi vni libentiss. vis-  
tam hanc, & cuncta nostra creda-  
mus, quo nos suo arbitratu guberna-  
net, ad nostram salutem, & suam  
gloriam. Neque propterea viuens  
dum nobis ociosis arbitramur: sed  
laborandum nobis cum sit in sua  
cuique vocatiōe, vt illi obediamus,  
omnium nostrorum laborum, cona-  
tuum, consiliorum, atq; operum fis-  
nem, exitū, ac successum ab illo vno  
dari

Deus nō est  
vllius pecca-  
ti autor.

dari & concedi profiteamur & credi-  
mus.

Quapropter libentiss. illi nos *Obedientia*  
subijcimus ad omnem obedientiā  
omnia quæ eueniunt (cum non ali-  
unde esse possint quam ab ipso) ac-  
cipienda & ferenda æquo animo  
iudicātes. Inde quoque fiduciam cō-  
cipimus maximam aduersus vim  
omnem contrariam: ne quid forte  
metuamus præter vnum Deum: ne  
cuiquam fidamus nisi vni Deo.

Collocata sic omni fiducia salutis  
in vnicō Deo nostro, nos omnem  
potentiam, dignitatem, excellen-  
tiam, sapientiam, bonitatem, vir-  
tutem denique omnem repudia-  
mus, nisi quæ sit ab illo profecta  
& constituta. Cui vni seruire & ob- *Religios*  
sequi est animus: quem vnum quo-  
quo decet omnis honor & gloria:  
valere iussis omibus operibus mor-  
ticinis peccati, in quibus olim vixi-  
mus: simulq; renūciamus *Idolatriæ*

(quã esse interpretamur quemuis cultum, quem homo præsumit præstare Deo absq; ipsius verbo, cum fiducia vniuersa qualicunq; nostra in creaturas, aut quasuis ipsarũ dotes, ac in nostra qualiacunq; opera) protestamurque vni Deo velle seruire ex toto corde, in spiritu & veritate per vniuersum vitæ huius curriculum, semper auxiliante spiritu sancto eius: quem oramus, ne vnquam nos deserat.

Hominis  
creatio.

Hic dum a Deo creata omnia præfitemur, simul id quoque volumus intelligi: nos ab ipso creatos & formatos. Attamen non vulgariter, vt in nobis, hoc est, in homine declararet suæ bonitatis, sapientiæ, & prouidentię præstantiã longe efficacius atque excellentius, quam in reliquis omnibus creatis, quæ ipse voluit hominum vsibus & necessitatibus esse subiecta. Homine porro creauit, vt ab ipso vnice coleretur & glorificaretur. Ideoq; illũ fecit ad

Finis.

ad imaginẽ & similitudinem suam: *Imago Dei.* data scilicet anima, quæ spiritus est, vt ipse Deus, atque etiã immortalis, tametsi principium habeat. Quã quidẽ animã dotibus oĩbus exornauit suę bonitatis, potẽtię, sapiẽtię, sanctitatis, iusticię ac virtutũ omnium, adeo quod in homine, quasi osculo Deum ipsum cerneret.

Verum enimvero dignitatis ac præcellentię huius suæ parũ æquus æstimator primus homo, cum suæ (quæ tum liberrima fuit) potius, quã volũtati Dei obtemperare malisset, astutiã Sathanæ & mulieris illecebris incitatus, mandatum quod a Deo suo acceperat violauit. Quo iratus Deus, mox illum (vti antea minatus fuerat) morti addixit. Et enim anima quamprimum dotibus omnibus iusticiæ & sanctitatis, quas supra memorauimus, exuta est, relicta tamẽ immortalitate: qua nihil quam inferior videri potuit, nisi liberator aduenisset. Corpus quoque

Peccatum.

Mors

ipsum dotibus suis, quas habebat non vulgares, protinus excidit, factum morti obnoxium, usque omnibus quæ morti sunt adiuncta: cuiusmodi sunt morbi, senectus atque imbecillitatis & vitiositatis genera omnia. Ita factus homo est longe miserimus, innocentia atque iustitia, virtutibusque ceteris exutus, atque adobrutus cæca Dei ignoratione, ingratitudeque nimia: qua totus quantus est in peccatum & rebellionem omnem aduersus Deum semper pronus existit: usque adeo corruptis in illo intellectu & voluntate, ut iam neque norit, neque possit, imo ne velit quidem consurgere: tantum abest ut mereri aliquid valeat, quo Dei misericordiam alis quatenus prouocet atque ad se flectat: qui sua sponte iam Satanæ, & concupiscentiæ suæ obtemperans omnia male agit, nihil autem bene ac iuste facit, quandiu non est domatum spiritu sancto renasci, atque ab

hac

hac vitiositate liberari. Ad hunc modum immutatus per peccatum non qualitatum tenus, sed in sua ipsius natura, obliterauit imaginem Dei, diaboli imagine induta, cui sese subiecit. Nam qui antea filius erat gratiæ, iam factus est iræ filius. Cui quamuis manserint intellectus & voluntas, nulla tamē superest facultas, aut libertas, ut queat quod vere bonum est eligere aut malum fugere: quis nimo nunc libero voluntatis ac mentis suæ arbitrato malum amat, inque illud pronus ruit: odit vero ac fugit Deum atque quidquid est vere bonum. Proinde homo quilibet a suo primo ortu corruptus, & vitiat, reus est iræ Dei mortisque æternæ.

Enimuero Deus noster diues misericordia, sic prolapsum hominem miseratus, filium suum unigenitum dedit, qui tantæ miseriæ suppetias ferret, atque hominem ab hoc maledicto liberatum, Satanæque seruitio vindicatum sibi reconciliaret iuxta decretum

decretum voluntatis suæ iam ante iacta mundi fundamenta constitutum; vt perinde ac restituri natalibus quotquot euang. ipsius receperint regignantur in filios adoptionis æterni dei, cumque filio suo hæreditatē regni cœlestis vitæ immortalis adeant.

PARS ALTERA DE  
filio Iesu Christo.

Et in Iesum  
Christum  
filium eius  
unicum  
Iesum Christi  
uerus  
Deus Christi  
homo  
factus,  
Qui conce-  
ptus est de  
spiritu. na-  
tus ex Ma-  
ria uirgine.

Idem quod prius dictū est profiteremur, filium esse Deum vnum cū patre, genitum ab æterno, coessentialē, consubstantialē ac coeternum, perque omnia æqualem. Ipse est vnicus natura filius Dei, veræ & ppria imago patris: qui nō est de dignatus, quo perditā Adami lapsu hæreditatē recuperaret, sibi aptare naturā nostrā, vt homo fieret, caro de carne nostrā, nobis per oīa simillimus, dempto peccato. Cū etenim tempus aduenisset a Deo ante mundi exordia constitutum, ipse Dei filius altera d. triadis persona factus homo

homo est, conceptus & genitus sola spiritus sancti virtute agentis in vtero virginis Mariæ ex ipsissima eius substantia seu semine, nullius viri adiuncta opera, vel commixtione.

Credimus ac profiteamur hūc Mariæ filium Iesum Christum hominē verum, manere etiam verum Deū, qui erat antea, altera videlicet D. triadis persona, existentibus in vna persona seu hypostasi naturis vtriusque, diuina & humana, absque vlla mutatione, conuersione, commixtione, aut confusione vtriusque vel alterius naturæ.

Credimus insuper & profiteremur hominē istum Iesum Christū (tametsi eiusdē sit nobiscū nature, atq; ex eadē substantia, quā e virgine sumpsit, factus homo) esse nouam creaturā, puram & immunem ab omni labe peccati, non secus quam Adamus erat cum conditus esset ante peccatum.

Quamuis porro hic Iesus Christus

Christus simul Deus & homo.

Christus ab omni peccato immunis

Cur Christus morti obnoxius.

ita



ita purus, sanctus iustusque esset, proindeque liber & immunis ab omni peccati reatus (cui nos omnes natura sumus obnoxij) attamen postquam carnem nostram cum omnibus infirmitatibus, excepto peccato, sibi adiunxit, seipsum quoque volens morti subiecit. At quoniam in ipso nulla peccati labes seu reatus erat, ipseque filius Dei, imo Deus quoque esset, non potuit homo iste diuinitatis substantia, atque omni genera spiritus sancti gratia repletus a peccato debellari, quemadmodum Adamus, neque adeo ab ipsa morte detineri. Quin cum ipsam mortem carne subierit, viuificatus tamen spiritu, nobis æternam redemptionem adeptus est apud thronum iustitiæ & misericordiæ dei, pro omnibus electis qui in ipsum credidissent, aut credituri essent. Itaque factum est, vt quemadmodum Adamus sua præuaricatione corrupit, vitiauit, ac perdidit vna secum posteritatem

steritatem suam vniuersam, quæ generatione carnali ex ipso ortum haberet: sic Christus genus suum vniuersum, nempe omnes electos, qui ex semine ipsius spirituali virtute spiritus sancti renascuntur, in integrum restituit, idoneosque reddidit ad eundem immortalitati.

Profitemur igitur & credimus Iesum Christum verum & æternum dei filium secundum naturam Dei, quæ in ipso est, atque etiam secundum assumptam humanitatem verum Mariæ filium in tempore natum, apparuisse, venisseque in mundum in carne nostra: vt pro peccatis omnium satisfaceret, omnibusque vitam promereretur æternam.

Atque id totum perfecit, cum iudicio Pontij Pilati mortem crudelem & atrocem, atque ignominie plenam, adeoque maledictam subiit (quamuis eodem iudicio ab ipso met iudice declaratus iustus & innocens) crucifixeque affixus est tanquam sceleratus aliquis:

aliquis: vt maledictionem quæ nos manebat, ipse in corpore suo portaret, penitusque in se receptam absorberet atque deleret.

*Mortuus et sepultus*

Denique quo certior omnibus esset ista mors, depositum est palam e cruce corpus exanime, conditumque sepulchro.

*Descendit ad inferna*

Ac ne quid forte videretur nostre maledictionis deesse, quod ille non in se recepisset: ad inferos quoque descendit. Nanque moribundus mortis angustias cum pondere iræ dei, tanquam peccator aliquis persensit, quapropter sese quoque a deo derelictum in cruce exclamat. Mortuus vero, uti corpore in sepulchro iacuit, ita anima apud inferos fuit, nempe in conditione mortuorum, vere separata a corpore.

*Tertia die resurrexit à mortuis,*

Ast ubi cuncta subiisset, in quæ iusto dei iudicio dånati eramus: vt penitus satis esset iustitiæ dei factum, ipse sua virtute die tertio rediit in vitam, rursus accepto corpore, quod, quamuis

quamuis sepulchro conditum, corrumpi non potuit, uti neque anima destineri apud inferos. Quo sane palam fecit se vere deum esse, potestatemque habere mortis, peccati, atque inferorum: ac denique omnium esse dominatorem.

Quoniam vero non decebat, ut qui vere filius Dei erat, tam multa pateretur frustra: voluit æterno decreto pater miser: cor Deus exaudito filio Iesu Christo, ut omnibus in ipsum credentibus hæc mors imputetur in plenam & absolutissimam pecccatorum omnium per solutionem, consummatamque iustitiam: qua liceat ipsis certo sperare reditum in amissam hæreditatem vitæ æternæ.

Ergo factus est Iesus Christus non bis Emmanuel & Messiah, hoc est vnctus, Propheta noster, qui nos quam certissimos faciat huius beneuolentiæ Dei patris, qua nos or

Christus

Propheta

mnibus ad salutē necessarijs rebus  
beare vult, nempe, peccatorum dis-  
missione, & iustificatione plenissis-  
ma.

Sacerdos.

Deinde sacerdos & pōtifex, qui  
non alienā hostiā, sed semetipsam  
patri obtulit in sacrificiū pro totius  
mundi peccatis omnibus.

Rex.

Deniq; Rex noster qui dominatū  
& potestatem habere se supra pec-  
catum, mortem, & infernum, atq; om-  
nes creaturas, manifestissime de-  
clarauit, suos omnes sibi asserens,  
ab omni aliena seruitute spirituali  
vindicatos in libertatem filiorum:  
vbi sibi tantum sint obnoxij, seruiant  
atq; obediant.

Proinde cū filius Dei factus homo  
se declarauerit verum Prophetam,  
sacerdotem ac Regem nostrū, qui  
unctus esset oleo, non corporali illo  
& terreno, sed coelesti & spirituali,  
ipso nempe spiritu sancto: nos in  
hunc vnum fidem ac spem & fidus  
ciam

ciam omnē collocamus, eiq; soli hoc  
norem vniuersum veræ subiectio-  
nis atq; obedientiæ attribuimus: va-  
lere iussis in religione cæteris om-  
nibus doctrinis peregrinis & sacris  
ficijs ac mandat. s qualibuscunque,  
quæ non sint ipsius Christi, neque  
vllō eius verbo doceri aut compro-  
bari possint.

Credimus & pfitemur Iesum Chri *Ascendit*  
stum postquam omnia perfecisset *in coelum*  
ad salutem nostram necessaria, quo *sedet ad*  
rumque gratia nostram ille carnem *dextrā deī*  
sumpserat, post denique confirma- *patris omni-*  
tam & comprobata suę a mortuis *nipoten-*  
resurrectionis veritatem, Ascendit  
se in coelum, imo supra omnes cœ-  
los, vbi consedit ad dextrā dei pa-  
tris, omnem adeptus potestatem &  
dominatum supra omnes creatur-  
ras, tum quæ in cœlis sunt, tum que  
in terris degunt. Atque ita factus  
est Iesus Christus caput ipsi Ec-  
clesiæ, omnia in omnibus adima-  
plens.

*Inde uentu-  
rus ad iudi-  
candum ui-  
uos & mor-  
tuos,*

Quamuis autem terras corpore reliquerit, inque coelis habitans, regat hunc mundum donec inde manifestus redeat in salutem nostram, in die suo iudicaturus uiuos & mortuos: tamē diuina sua potentia semper adest ipse praesens Ecclesiae, omnesque suos electos suo spiritu regit & moderat, fouet, tuetur, sibi que indies magis atque magis adiungit.

PARS TERTIA DE

*Spiritu sancto.*

*Credo in  
Spiritu  
sanctum,*

Credimus & profitemur hūc quoque vere Deum unum cum patre & filio coequalem & consubstantialē, non genitum, sed procedentem a patre & filio. Quem Deus pro sua Clementia suis omnibus electis largitur & impertit, ut eos mundatos sanguine filij sui indies magis atque magis puros reddat & sanctificet, simulque uiuificet regenitos in uitae nouitatem: ut idonei sint, valeantque superato peccato, quod prius in ipsis dominabatur, iam seruire deo in sanctitate.

ctitate & iustitia per fidem, qua illorum corda obsignat hac persuasione indubitata & fiducia certa, quod sint filij Dei, cohaeredes Christi in regno caelorum, quae uita aeterna est.

Idem spiritus sanctus est, qui, ut singula membra, sicut totam Ecclesiam sanctificat & regit, membra eius omnia in unum recolligens corpus, quod corpus est ipsa Ecclesia sancta & immaculata, a spiritu sancto uiuificata & semper conseruata inde a primo parente Adamo ad extremum usque iudicij diem: cuius caput unicum & aeternum ipse Iesus Christus.

Idem spiritus est, qui in Ecclesia semper adiutus externo legitimo ministerio iuxta uerbum Dei, efficit ut illud uiuum atque efficax sit in singulis membris Ecclesiae suae, siue id sit uerbi, siue sacramentorum, siue precum, seu denique disciplinae ministerium, ut credentibus & fide percipientibus prosint ad salutem.

*Spiritus  
nos sancti-  
ficat.*

*A Spiritu  
est uniuersa  
uis & effi-  
cacia Mini-  
sterij in Ec-  
clesia.*

PARS QUARTA DE  
Ecclesia.

Sancta Ec-  
clesiam Ca-  
tholicam.

Ecclesia qd

Credimus & profitemur vnā esse Ecclesiam omnium fidelium & electorum a primo vsq; homine Adamo, ad vltimum mundi finē: Quæ est ipsum Christi corpus vnicum, sicuti caput eius vnicū est, Christus, estque vniuersa illa societas & collectio fidelium omnium renata & per spiritum sanctum consentientiu in vnitatē fidei atq; vnus Dei, & saluatoris vnus Iesu Christi: qui est a Deo patre constitutus, vt sit caput vnicum huic Ecclesiæ: quā sanguine suo acquisitā & mundatam deinde suis omnibus donis exornat, cuncta perficiens in ipsa virtute spiritus sancti perpetui ac continui rectoris, gubernatoris, & conseruatoris istius Ecclesiæ.

Sanctorum  
fœmunionē

Hanc Ecclesiam profitemur esse sanctorum communionem: tum quia ipsa est illa sanctorū omnium collectio in vno capite Christo: tum quia omnibus

omnibus in hęc societate collectis, ac nulli extra eam, communia sunt dona dei omnia, quæcunq; nobis sua morte Christus acquisiuit. Cuiusmodi sunt, REMISSIO PECCATORVM, per sanguinē Christi, quæ non amplius imputantur electis ipiritu sancto obsignatis. RESURRECTIO CARNIS. Quamuis enim moriamur omnes, animæ tamen fidelium in Christi sinu viuunt vsque ad ipsius reditum, quo venturus est ad iudiciū, quando illæ receptis corporibus suis proprijs obtinam illi veniant, vt cū eo potiant vltimo ac summo illo bono, quod est, Vita æterna.

Atq; hæc quidē Ecclesia quāuis vni deo sit cognita, iuxta illud, Notuit dñs qui sunt sui: Attamen agnoscimus atq; Ecclesiam esse profitemur, quæcunq; cœtū hominū profitentiu verā doctrinā fidei, communicatiuū Sacramentis a Christo institutis, ac vniuersam eius religionē, quæ verbo eius cōprobata est, obseruant. ū.

Extra Ecclesiam nulla salus.

Remissione peccatorū.

Carnis resurrectio.

Vita æterna nam Ecclesia vniuersalis.

in Ecclesia  
sunt mali  
omitti bo-  
nis.

Quæ quidem Ecclesia vti est omnis  
bus conspicua, ita sæpe habet in se  
non solum bonos, verum etiam ma-  
los: quorum tamen coercitio fit per  
disciplinam Ecclesiasticam: vt si ad  
moniti non res piscant, sanctorum  
cœtu excludantur tanquam putrida  
membra, donec redeant ad mentem  
meliores.

In hac porro Ecclesia viuax esse  
totum ministerium virtute spiritus,  
credendum est, vt per hunc semper  
fit ministerium verbi, sacramentorum,  
precum, & disciplinæ, efficax  
ad salutem in electis, & ad condem-  
nationem reprobos, iuxta illud:  
Non redibit ad me verbum meum  
vacuum. Ac proinde vocatio in hanc  
Ecclesiam cum obedientia recta Eu-  
gelij coniuncta, signum esse certiss.  
singulis suæ electionis debet. Nam  
que in hac Ecclesia per ministerium  
verbi & sacramentorum datur rem-  
issio peccatorum: & fides cum spe  
resurrectionis & vite æternæ virtute  
spiritus

Vocatio in  
Ecclesiam  
signum ele-  
ctionis.

spiritus cooperantis in nobis ob-  
signantur.

Quamuis ergo hypocrite plurimi  
huic Ecclesie admixti essent, nihil  
ominus donec consentiunt in pro-  
fessionem doctrinæ fidei, ac mini-  
sterium vniuersum, nihil quidem tur-  
bantes, quo Ecclesie iusto iudicio  
excommunicentur, ipsos membra  
Ecclesie agnoscimus: Deo relin-  
quentes Zizaniorum occultorum  
euulsionem in die suo: contenti  
euellendis istis sedulo operam dare,  
quæ sunt manifesta.

Huic porro Ecclesie suas Deus  
notas addidit: quibus discerni a cœ-  
tibus reliquis possit. Primam notam  
dicimus ipsum ministerium doctri-  
næ & verbi, in quo est fundamentum  
Ecclesie a Deo per Prophetas &  
Apostolos positum. Cui doctrinæ  
admiscenda haud sunt somnia, aut  
traditiones hominum: sed sola reti-  
nenda est cum sana & sobria inter-  
pretatione, quæ sit semper analogia

Tessera qui-  
bus discerni-  
tur Ecclesia  
Tessera. 1.

fidei, hoc est, ex literis ipsis sacris  
petita: ne quid forte vnq̄ in Eccle-  
sia simplicioribus obrudat humani  
inuenti tanq̄ ad salutē necessariū.

Tessera. 2.

Alteram notam dicimus, inuoca-  
tionē simplicem, vnus Dei per so-  
lum Christū. Nempe hic cultus est  
Dei proprius Ecclesiæ, quo se Deū  
suū agnoscere profitetur: quo etiā  
ipsa a ceteris discernitur: qui vel nō  
vnum Deum viuum, sed creaturas  
quoq̄; vel quamuis vnū Deū inuo-  
care videantur, nō tamen per Chri-  
stum, aut non per Christum solum  
inuocant, aut illos deniq̄ cultus cor-  
porales seu externos sibi fingunt,  
vel ad iustitiam coram Deo compa-  
randam, vel ad promerendam quā-  
cunq̄ ipsius gratiam necessarios:  
Deum sibi fingētes alium, perinde  
que alios illi cultus exhibentes, quā  
quos verbo suo a nobis exigit: nite-  
tes vana specie recti, aut nescio cui-  
us decori, homines præpostere re-  
ligiosi, plus tribuetes mandatis atq̄  
inuena

inuentis hominum, aut suis ipsorū,  
quam Dei uiuentis mandato.

Tertiam notam dicimus esse Sa-  
cramenta, quæ Christus Ecclesiæ  
sua instituit: quibus tanquam signa  
culis perpetuo certiores reddamur  
(spiritu sancto cooperante per fidē,  
quā nostris cordibus obsignat) de  
Dei beneuolentia & fauore singu-  
lari erga nos, ac perfectione eorum  
omnium quæ nobis per verbū suū  
promittit.

Tess. 3  
Sacramen-  
tum quid

Sacramenia autem duo tantum  
Ecclesiæ agnoscimus a Deo com-  
mendata, Baptismū & Cœnam do-  
mini.

Sacramen-  
ta duo.

Baptismus est Sacramētum rege-  
nerationis, videlicet cōiuncta cum  
prædicatione Euangelij externa  
aquæ ablutio, qua tingimur in no-  
mine patris, & filij, & spiritus san-  
cti, a deo que certiores reddimur no-  
stræ in corpus Christi & fidelium  
cœtū cooptationis, atq̄ etiā de mi-  
sericordia dei, qua nobis cōdonata

Baptismus.

sunt

sunt omnia peccata: simul ob signāte hāc fidem in cordibus nostris spiritu sancto, a quo etiam vitæ renovandæ, iustitiæq; inchoandę vis atque efficacia subministratur.

Hoc vero sacramentum cum sit tessera fœderis dei, quo nos semel regenitos in filiorum adoptionem cooptat. Nos pertinere illud profite mur ad omnes, ad quos ipsum quosque fœdus pertinet: atque ideo infantes fidelium nobis a fidelibus oblatos, fide promissionis huius baptisamus: quia Deus noster, non adulterorum tantū, & qui fidem ore profiteri possunt, Deus est, verum etiam infantium: qui quamvis fidē, qua possunt a spiritu sancto ob signati esse, verbis profiteri nequeunt, attamē in fœdere illo Dei continentur, & ad eos promissio, quæ baptis mo continetur, pertinere creditur.

Baptisamus autem aqua pura, nō vllis quasi carminibus incantata, sine cuiusq; alterius rei admixtione (quod

Infantes  
baptisandi.

(quod hominis non sit a Christo institutis sacramētis quidquam affingere) Contenti nihil supra Christū sapere, tantumq; id facere quod ille fecit & nos facere iussit.

Alterum Sacramentum est Coena domini, Sacramentum reconciliationis, quo ex instituto Christi celebratur memoria mortis ipsius, & distributione panis fracti, & poculi benedictiōis, sit cōmunicatio & participatio corporis & sanguinis Christi oībus vera fidē cōmunicantibus, in alimoniā vitę æternæ: quo certiores efficiamur de remissioe peccatorū nostrorū quibus nos ipsos reddideramus indignos vita eterna, violato fœdere q̄ cū Deo nostro in baptisimo initū fuerat: & de participatione integra reliquorum bonorū quæ nobis Christus corpore suo pro nobis tradito, & sanguine itidem pro nobis fuso peperit & cōsecutus est.

Quartam tesseram dicimus esse disciplinam Ecclesiasticam. Quae nempe

Coena dñi.

Tessera. 4.  
Disciplina  
Ecclesiastica.



nempe corriguntur mores, & flagitia coercentur, atq; omnis vitæ honestas iustitia & æquitas inter homines conseruatur. Proinde in omni Ecclesia recte instituta ministeriū hoc apprime vtile, atq; optandum ducimus. Idque duplex esse putamus. Vnum quod ecclesiasticum aut spirituale vocis licet: quod versatur in doctrina, sacramentorum vsu, & ista, quam modo diximus, morum & vitiorū coercitione seu castigatione per verbū Dei, & abactione a sacris, si opus sit. De quibus alias. Atq; huic ministerio honorem omnem atq; obediētiam deberi profiteamur.

Ministeriū  
duplex.  
Ecclesiast.

Politicum.

Alterum ministerium est politicum, Cui a Deo traditus est gladius ad omnem tuitionē iustitiæ & æquitatis, atq; imprimis veri cultus Dei, ad vindictam quoq; omnis iniustitiæ & impietatis: quo tuti sint, ac vitæ quietam degant boni, mali vero castigati non emendentur, e medio tollantur.

Hæc

Hæc fides est nostra in qua nos eū Catholica Ecclesia putamus consentire, & admitti postulamus tanquam membra Christi, pollicentes obediētiam erga vniuersam Ecclesiasticam disciplinam verbo Dei consonam, reliquamq; doctrinam fidei ac religionis veram.

Proinde omnes cœtus falso dictos Ecclesias, quicunq; doctrinam aut religionē diuersam sequuntur abiuramus, puta, Mahometistarū, Anabaptistarū, Libertinorū, Mennonistarum, Davidistarū, Marcionistarū, Arrianorum, & si qui sunt præterea similium hæreseon.

Insuper Papæ tanquā Antichristo Rom. renunciamus, ac doctrinæ & religioni vniuersæ quam ipse Tyrannica vi introduxit, nominatim de transsubstantiatione panis in Eucharistia, de sanctorum inuocatione, fiducia iustitiæ propriæ operum, seu alterius cuiuscunq; que quam Christi, libero arbitrio, purgatorio

purgatorio, & satisfactione vlla p  
 peccatis alia præter Christi sanguis  
 nem, ac denicq; de omni cultura ima  
 ginum, & cæteris eiusmodi inueni  
 tis, quæcunque ipsius religione  
 & doctrina cõtinentur. Faxit Deus  
 vt hæc fides in nobis atgeatur, in  
 eaq; perseuerare queamus vsq; in  
 finem. Det etiam omnibus ipsum  
 adhuc ignorantibus verum lumen  
 fidei: vt agnoscentes vnicum li  
 beratore mundi Iesum Chris  
 tum filium eius vn ge  
 nitum salui nobis  
 cum fiant.  
 FINIS.

*Subscripserunt Pastor & seniores Ec  
 clesie Gall. quæ est Francofordia.*

Valerandus Pollanus.  
 Pastor Ecclesie

Ioannes Murellius D.  
 Ludouicus Castellio.  
 Georgius Maupas.  
 Iacobus Crucius.

AD LECTO  
 REM CANDIDVM PRO  
 LITVRGIA AD  
 monitio.



**H**ANC porrò Liturgiam non o  
 mnibus probari haud equidem  
 ignoramus, ijsq; plurimis, quos  
 scimus, si aliquando uidissent, aut  
 certè audiendo intellexissent, nõ  
 iniquos iudices fore. Alij sunt, qui odio Euange  
 lij, ac legis Dei, temere quicquid est eorũ, qui ho  
 die Euangeliũ Christi profitentur, damnant &  
 execrantur: tametsi apud suas conscientias probe  
 intelligunt, non posse uituperari, aut solidis argu  
 mentis conuinci (uti clamant) hereficon. His nihil  
 est quod respondeamus, uerum ijs qui ignorantia  
 peccat (etsi non omnino excusandi sint, quinimo  
 reprehendendi, quòd res non intellectas dānent,  
 alienis præiudicijs freti) tamen quia errore pec  
 cant, non malicia, respondendũ aliquid putamus.  
 Si multas ceremonias laudabiles clamant aboli  
 as, quæ tamẽ uidebatur magna niti auto itate ue  
 stisum. patrum: si ordinem et decorum cõfundis:

Si dignitatem ministerij prostitui, & contemni dicant, hoc nonnihil est: attamen non ita habet apud nos. Nam quod dignitatē ministerij attinet, sane nostra memoria constat pompam & luxū, nō dignitatē fuisse quicquid isti à nobis rescissum clamant. Cum porrò Ministri suum munus probè exequentur, abunde spiritus sanctus dignitatem, laudem, gloriam, & honores omnes conciliabit. Id quod uidemus, tam multis sanctis uiris post Apostolos accidisse, qui sine his pompis sanctissimè rexerunt Ecclesias Christi. Quam enim dignitatem, aut auctoritatem maiorem requiris illa, quam Paulus laudat Corinthijs? Ordinem porrò cōsummi & decorum, plane uanum est: quemadmodum calumnia est, quòd ceremonias laudabiles & uetustissimas aboleri quiritantur: atque Ecclesiam hanc læsæ maiestatis diuinæ ream faciunt: Nulla enim tanta uetustatis dignitas, uel patrū auctoritas, quæ quicquam ualeat aduersus Dei auctoritatem, uel Ecclesiæ edificationem. Esto itaq; multa sint in illis ceremonijs (quas aboleri indignè ferunt) auctoritas uetustatis: Attamen siquid ab aliquo excogitatum aut usurpatum sit temere: nō ea debet Ecclesia seruitute premi, ut corrigere nefas sit, aut mutare ac deponere. Quid si etiā stultè

aut

aut impiè? nempè, aut absque uerbi Dei auctoritate & sine ulla edificatione, aut contra uerbū, & uoluntatē Dei (id quod etsi non manifesta scriptura, attamen euentu probari potest, cum tam immensum superstitionum pelagus, tam multe & horrendæ idolomanie inde secutæ sunt) Cur Ecclesia, uel quorū interest, cessent ea tollere, quæ scandalo esse intelligant infirmis? Quicquid à Christo auerit, aut remoratur etiā, id sedulo tollendū est. Præterea cum non omnia conuenire omnibus temporibus & personis non ignorent, quid placuli erit, patrum etiam sanctissim. instituta mutare, si ita ferant tempora & mores? Sed quid multis opus? Doceant isti ommissum aliquid, aut mutatum, aut correctum contra Dei uerbum, parata erit Ecclesia illa consilium sequi & obedire. Nā in ijs, quæ nulla auctoritate uerbi Dei nituntur, credit summam sibi datam auctoritatem tollendi uel retinēdi. Tantum ne quid in Ecclesia usurpetur, quod non ad edificationē, & Ecclesia Christi dignum ordinem pertineat. Nam si quid tale nō sit, tollendum omnino est, nisi Paulū male præcepisse 1. Cor. 14. fatemur, omnia ad edificationē, et decoro ordine fieri. Quanto magis si quid successu temporis scādalo esse incipiat, tollendū, exemplo Ezechie, qui 3. Reg. 18.

Num. 21. nō dubitauit serpentem illum tantis miraculis clarum deijcere. An non meritō hic herere bonus princeps debuit, cū serpentē à Deo fieri iussim? cū illius aspectu tanta beneficia cōsecutos Israeli- tas meminisset? At doceri populum iussisset, atq; ab superstitione & idolomania illa reuocasset: serpentem alicubi asseruari tanquā memoraculū diuinæ bonitatis mandasset. Imō uerò nō tātī hæc fuerunt pio regi, quin omnem occasionem idololatriæ prorsus tolleret è populo. Malum (inquit Apostolus) de medio uestri tollite: & malū odio persequimini. Iam igitur dabunt hoc, credo, boni uiri: tollendum omnino quicquid scandalo esse potest, non dico impijs (ut iam uulgo quidam respondent, se hoc uel illud, in quo scilicet accusantur, facere ne scandalizent quenquam, scilicet mundum) sed pijs adhuc infirmis. Quicquid idolomanie instrumentum est: quicquid deniq; falsas opinionēs gignit & stabilit, tollendum est.

Sermo uernaculus.

Sed singula uideamus, quæ isti reprehendūt. Primū est, sermo uernaculus pro peregrino institutus. Hoc autem nimis crassum est, pugnat enim cum expresso uerbo Dei. Quo si non sunt contenti: quid æquius, quàm singulos in Ecclesia, quicquid ibi fit, aut dicitur intelligere, quò edificentur, cōsolentur,

1. Cor. 5.  
Rom. 12.

1. Cor. 14.

solentur, instituatur? Impiū itaq; & stultū nimis hoc fuit, hoīes, si uel orarēt, uel laudes Deo canerent, eo uti sermone, quē non intelligerent. Eodē Cantus; pertinet ipse cantus seu modulatio, cui nullus locus esse debet in Ecclesia, nisi ita moderato, ut ab omnibus intelligi possit, non enim est in Ecclesia iubilandum, sed canendum. Lectio Euan- Lectio Euan- gel. & epist geliorum & Epistolarum Ecclesia non omisit, sed restituit. Illi potius omiserunt, qui sic truncatim legerunt, uti uidemus in Ecclesijs, quæ sub patu sunt, adhuc fieri. Iam hæc Ecclesia, & st quæ sunt aliæ reformatæ, Euangeliorum & Epistolarum, imo totius sacri libri scripturas omnes ordine populo prælegunt, & exponunt. Id quàm sit Ecclesiæ utilius, quàm quod fieri solebat, est facile intelligere, qui iudicium syncerū sine ullo affectu attulerit. Et si quis historias legerit, facile intelliget hunc morē fuisse in priore Ecclesia seruatum quandiu uiguit cum prophetia linguarum donum. Tandem his cessantibus, et eruditione fœdata à Barbaris, cœpit hic usus frustulatim recitandi portiunculas quasdam Euangelij, cum homilijs. Atq; id tolerabile utiq; fuit aliquādiu: donec extinctis omnibus his donis, pro scripturis sanctis legi cœperūt scripta patrum uetustiorū,

Preces.

ac deniq; recentiorum, ut Gregorij & aliorum  
similium. Preces etiam usurpari solitas ab Eccle-  
sia Romana frustra omittas accusant: Nam una  
oratione quæ perpetuò repetitur ea omnia pos-  
sulantur à Deo, quæ ipse nos petere præcipit:  
Orationes quæ ad sanctos mortuos diriguntur,  
aut in sanctorum nomine fiunt, non temere Eccle-  
sia rejicit: cum mandatum habeat, in nomine Chri-  
sti petere, & hunc unum mediatorem agnoscere,  
atq; etiã exëplar uitæ propostiu sequi et imitari.

Ecclesiariũ  
libertas in  
externo dei  
cultu, non  
alligata vl-  
lis exëplis.

Cum porrò hac in re & superiore, puta, in  
lectione scripturarum, & in precibus, quam pro-  
ximè potest simplicitatem Apostolorum sequitur,  
nullius alterius Ecclesiæ morem damnat. Tantum  
nequid usquam sit contrariũ uerbo Dei, uel quod  
dignitatem Christi mediatoris obsuscare queat.  
Alioqui in ijs externis summa est Ecclesiæ liber-  
tas, nempe ut id sequantur omnes Episcopi et Mi-  
nistri, quod sua Ecclesiæ maximè expedit ad ædi-  
ficationem, & ad promouendum gloriam Dei.  
Vna hic cautio est, ne superciliosè qdquã impere-  
mus Ecclesiæ, putantes admodu sapere. Est enim  
data autoritas in Ecclesiã nulli ulla, nisi ad ædifi-  
cationem. Id etiam cauendum, ne ulli coctui sua li-  
bertas eripiatur, qd fit, si cogitur altera alterius  
exemplum

Cor. 10.

exemplũ sequi, aliter quàm in Christo. Exemplo  
id fiet clarius: aliqua Ecclesia cantu utitur mode-  
sto, non iubilatorio, optime, et cū exemplo uetu-  
stissimæ Ecclesiæ: modò his modis ea insit modera-  
tio, & grauitas, quæ deceat Ecclesiam Dei. Alij  
enim modi decent Ecclesiam in Sacris peragendis,  
ubi cū Deo nobis res est: alijs mensam, ubi uolupta-  
ti aurium seruire licet. Aliã rursus uideas, quæ  
nullo cantu uititur. Hic imò altera ab altera iudicã-  
da? Imò commendat utraq; alterius studiũ, quòd  
quæ maxime ad ædificationem pertinent utraq;  
pro moribus suorum hominum spectet. Commen-  
dat enim fidem, non uiolat, ceremoniarum exter-  
narum, in Ecclesiis uarietas. Vti non minus doctè  
quàm piè docuit Irenæus in cõponenda illa tristi  
discordia de die Pasche, quam Satan excitarat  
inter Asianos Episcopos & Europæos. Rursus  
qbusdam Ecclesiis satis est quater in anno Cœnã  
celebrare: alijs frequentius. Quid hic una in alte-  
ram habet causæ, ut quæ frequentius cõmunicat,  
illã damnet, quæ rarius? aut cõtrã? Spectata modo  
fit utrobiquè gloria Dei, & ædificatio Ecclesiæ,  
nihil obstat. Attamen quotidianum usum omise-  
runt Ecclesiæ ferè omnes, neq; id (nostro iudicio)  
inconsulto. Nam facile tam frequenti usu res

Euseb. hist.  
Eccle. lib. 5.  
cap. 2. 4.

redeat in antiquam superstitionem: ut populo, alioquin negotijs huius uitæ occupato, haud quæ expediat ita frequens usus: & non caret superstitione si soli Ministri & presbyteri cõmunicent ne opus ipsorum pro alijs ualere putetur, atq; ita opinio operis operati ualeat. At concionem quotidianam nemo pius reprehendet Nihil enim est quod ab operis seruos aiunt reuocari: Nã pro ijs ita diluculo habetur, ut sit diei auspiciũ, quò et doctrina Euangelica moniti fidelius ac diligentius suam agant officium, & sanctificati per uerbum ac Dei inuocatione feliciter agant. Nihil de uestibus hic præcipi fortasse aliqui murmurabunt. Id uno uerbo illis responsum uelimus. Cum de uestibus ad ministerium adhibendis Paulus nihil uspiã doceat: Ne tum quidem cum de Eucharistia acturus mulieribus suum ornatum præscribit: quid hic Ecclesiam Dei iugo uis premere? quam neq; de diei festi parte, neq; de cibo, neq; de potu iudicari uult Paulus. In quotidiano usu sit ministrorum uestitus modestus ac grauis, ab omni luxu & fastu alienus: in eodem ministrent populo. Nam non est uestibus, (nisi ijs admodum modestis, & remotis ab omni luxu) dignoscendus à suis: sed uerbi Dei potentia ac sollicita sedulitate, & omni morum

comitate

comitate atq; benignitate: ut armentarius aliquis non ueste à suis ouibus agnoscitur, sed sibilo, sed cura sedula, & pabulo, & fida custodia. Cũ uero uideamus quãtus abusus sit in uestibus illis, quas nisi carminibus horrendis infectas non admittunt Papistæ: alioqui uix sacra peragi posse putant: nec facile eximatur hominum animis superstitio, nisi tollatur irritameta omnia: dignũ censeo Ecclesiã Dei summa simplicitate hic uti. Pluris aut sit nobis unius, atq; adeo minimi scandalum, quã 10000. hostiũ, qui, nisi pessimi essent, haud quãquam offenderentur, quorum ea est proteritia, ut semper optimis quibuscq; offendantur. Iam in Sacramentorũ administratione uideamus qd omissum uideri possit. In baptismo in primis nõ ignoro quã

Baptism.

multa omissa sint, quæ etiã antiquis, fuerũt. Sed nulla antiquitas maior est uerbo Dei, qd est antiquitate ipsa antiquius. Quid aut miramur, si statim post tẽpora Apostolorũ creuit superstitio in Ecclesia, cum ipsis Apostolis iam facerent negotiũ heretici? Cum his erat alijs longẽ grauioribus in causis contentio doctissimis & sanctissimis uiris Episcopis, ut non mirum sit, illos subinde neglexisse quædam, quæ alias nunquã fuerant toleraturi. Hæ sunt Satanae artes.

H 5

Vestcs.

Col.2.

Attamen, uti dictum est, nihil Ecclesia omisit, quod nitatur uerbo Dei. Nec quidquā præter ea, quod ad ædificationem non pertineret: uti quod puerum baptizandū susceptores seu fideiussores cum parente offerunt. Est enim hoc ualde antiquum, nullam tamē scripturæ autoritatem habet, sed aliquā iustam rationē. illi enim nomine Ecclesie fidem pro puero testantur, atque se obstringunt illum instituendum curaturos. Quamuis id liberū tamen esse debet, unicuique, ut susceptores accipiat, uel omittat. Sed siquid erat uel leuiter usurpatum à populo, uel temere ab aliquo excogitatum, successu autem temporis in superstitionem conuersum, id omissum est, uti sunt cereus, chrisma, oleū, status, exorcismi, aquæ consecratio, crucis signum in fronte, quæ omnia uidemus eo fuisse loco, & creuisse numero, ut iam non tantum obfuscaretur, sed ferè obliteraretur ipse baptismus, pluriusque fierent illa, quam hic. Tota enim uis putabatur in exorcismo, aquæ consecratione, oleo & chrismate. Quæ cum tam crassa sint, nemo, nisi cæcus sit, aut planè alienus à Deo, non uidet fuisse tollenda. Sic olim prægustatio lactis & mellis, uestis alba, per obiduum à baptizatis solita portari, & alia his similia iam mox post Apostolorum

stolorum

stolorum tempora fuerunt introducta in Ecclesiam: quæ tamen à posteris omissa nemo reprehendit. Quo iniquiores sunt, qui ridicula quædam nuper usurpata leuiter, iam sublata propter graues causas ab hac sancta Ecclesia queruntur. Desino pluribus agere. Neque enim præsentis est instituti omnia diligentius persequi. Cum etenim hæc Ecclesia Christi in institutum quam proximè sequatur, & Apostolorum exemplum: cuius iustam fuerit hoc æquitatis, damnare ipsam, quod nolit Christo Deo ac seruatore nostro sapientior uideri?

In Eucharistiæ celebratione non solum multa omissa, sed totam suā Missam queruntur abolitā. At uerò ita necesse fuit, cū usque adeo insanisset Ecclesia Romana, ut prætermissa Christi institutio, placitis homuncionū adhereret: imò totā Domini nostri Iesu institutionē sic spreuisset, ut nisi a suo anu iā nō Sacramentū populo ministraretur, sed idolū panis adorandū obtruderetur. An hoc sacrilegiū ullam reuerentiam merebatur, ut quicquam illius retineri, aut attingi religiosius (uti nonnullis uidetur) deberet? Non hoc dignandum honore, ut quidquam inde petitum aut seruatum laudemus. Itaque Ecclesia ista cum multis alijs

Spiritum

spiritum Christi secuta sese retulit ad ipsam diuinam institutionem: ut eam quàm simplicissime & fidelissime posset in usum reuocaret. Proinde non possum hic diutius immorari, aut tempus tere re excusando factum, quod summā laudem mereatur, quodq; omnes quotquot Christi esse uolunt sedulo imitari debent, ne sentiant iram Dei, quemadmodum de Corinthijs testatur Apost. qui tamē præ istis papistis religiosiss. possunt uideri. Quis ergo dubitet omnes calamitates regnorum potentiss. & Rerumpub. florentiss. meritò impunitari Papistis Misificibus, & Coenæ domini profanatoribus: quos aut ferunt, non satis religiose: aut etiam impie defendunt.

Proinde hortor, & obsecro per uiscera misericordie Domini nostri Iesu Christi, quotquot censeri nomine ipsius uelint, Reges, Principes, Episcopos, Pastores, et Magistratus, quos tangit ulla numinis Dei reuerentia, ne temere Ecclesiam istam, uel quotquot sunt pij fidei eiusdem (adhuc tamen sub ipsorum imperio agentes) damnare uelint: sed potius hoc exemplum tanquam sibi à Deo datum diligenter intueantur, ac sibi imitandum, atq; etiam superandum proponant.

Quod si nondum impetrari potest: saltē Traianum

ianum illum Roma. Imperatorē imitentur, & iras remittant: desinantq; porrò nihil de ipsis meritā malè Christi Ecclesiam crudeliter persequi, aut potius Christū ipsum insectari, cogitantes quàm sit difficile ac periculi plenum contra stimulum Act. 9. calcitrare.

Dicendum esset fortasse aliquid de cæteris ceremonijs reliquarum Liturgiârū coniugij & penitentiae, ac ordinationis ministrorum Ecclesiae, nisi ea essent clariora, quā ut explicatione indigerent. Ac fortasse hæc attingetur in Aphorismis nostris de disciplina Ecclesiastica. Hoc tantum monuisse satis est, Nihil huius Ecclesiae exemplo simpliciter damnari secus ab alijs usurpatum, nisi id sit cōtra uerbū Dei. Etenim uti supra monuimus, in ceremonijs & rebus externis omnibus summa est Ecclesiae libertas. Tantū omnia seruiant & adificationi & ordini ac decoro.

i. Cor. 14.

Faxit Christus Iesus ut suo spiritu depulsis ignorantie tenebris, lux ueritatis ita exoriatur ut filio perditionis agnito, ac prorsus exturbato agnoscatur ab omnibus Christus uerus pastor, ac caput unicum Ecclesiae suae. Idemq; regnet in cordibus omnium in æter-

num, Amen.



## ELENCHVS CAPL

TVM LIB. HVIVS.

|   |     |
|---|-----|
| Liturgia diei Dominici: fol.                | 5   |
| Liturgia Cœnæ Domini.                       | 19  |
| Catechismus, seu Liturgia pomeri-<br>diana. | 30  |
| Liturgia vespertina.                        | 30  |
| Liturgia quotidiana.                        | 31  |
| Liturgia pœnitentiæ.                        | 22  |
| Liturgia baptismi.                          | 41  |
| Liturgia benedictionis coniug.              | 55  |
| Liturgia visitationis ægroto.               | 64  |
| De ordinatione ministrorum.                 | 68  |
| De disciplina Ecclesiastica.                | 75  |
| Professio fidei Catholicæ                   | 78  |
| Admonitio ad pium lectorem pro<br>Liturgia. | 113 |

FINIS.

## ERRATA SIC CORRIGE.

|      |   |
|------|---|
| Pag. | 15. Ver. 4. ubiq.                                 |
|      | 21. Ver. 6. niore. Post sym-<br>bolum.            |
|      | 28. Ver. 18. fractum in remis-<br>sionē peccatorū |
|      | 38. Ver. 6. pauidæ                                |

<sup>κ</sup> 54.380.445 ✓  
Fin W 132

J. Burckhard,  
Buchbinder. Frkf. a. M.

*Libellula*  
*gia*  
*Sacra*  
*Ed. II.*  
*Trin.*  
*color.*  
*diae.*  
1555.

Ffm W

132